













Ung VI 3



1

STATUA FORTITUDINIS  
 JULIO-CAESAREANAE  
 IN  
 TEMPLO CLEMENTIAE  
 ERECTA, ET  
 AUGUSTISSIMIS HONORIBUS NATALITIIS  
 AC FELICITATI GLORIOSISSIMAE,  
 SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,  
 DOMINI  
**JOHANNIS GEORGII III.**  
 DUCIS SAXONIAE, JULIACI, CLIVIAE ET MON-  
 TIIUM, S. R. IMP. ARCHIMARESCHALLI ET ELECTORIS,  
 LANDGRAFII THURINGIAE, MARCGRAFII MISNIAE, ET UTRIUSQUE  
 LUSATIAE, BURGGRAFII MAGDEBURGI, COMITIS PRINCIPALIS HENNEBERGAE, CO-  
 MITIS MARCAE, RAVENSBERGAE ET BARBY, DOMINI RAVENSTEINI. ETC. ETC.  
 BINIS ORATIONIBUS SOLENNIBUS,  
 IN INCLUTAE LEUCOREAE AUDITORIO MAJORI  
 ET PANEGTRI PUBLICA  
 HUMILIMO ANIMI DEVOTISSIMI CULTU  
 CONSECRATA,




*In Augmentum de  
 Nicolae Hungar  
 rum obitu et  
 Latini Juratio  
 gnae Die 20. Apr  
 1721*

POTENTISSIMI SAXONIAE ELECTORIS  
 SERVIS HUMILIMIS  
**CHRISTOPHORO FRIDERICO, & GOTTLBIO CHRISTIANO**  
 FRATRIBUS GERMANIS, VICEDOMINIS AB ECSTAED,  
 DIRIGENTE EPORO,  
 M. F. CALENO







Durchlauchtigster / Großmächtigster

Chur = Fürst /

Gnädigster Herr /

**G**laube / daß sich Klee zu Deinem Lorber leget /  
Der zwar / gleich diesem / auch von Deinem Lobe gerint /  
Und als ein Neben-Schmuck zum Sieges-Kranke dient  
Den Dein Churfürstlich Haupt mit Höchsten

Ruhme trägt /

Seit Dein Gerechtes Schwert des Achmeths Macht erleget /

Daß Er sich nach der Zeit so viel nicht mehr erkühnt /

Und wünschet / daß er längst bey Sachsen aufgeföhnt /

Als welches ihm den erst- und schwehesten Fall erreget /

Auff dessen einen Sieg iedweder sich gegründet /

Der bisanher erfolgt und künfftig folgen kan.

Wie aber Deine MAJEST mit GÜTIG sich verbindet /

So wird auch beyden hier ein Dpffer = Dienst gethan.

Blick es / O JOBUA / mit Gnaden = Strahlen an /

Daß unser Kleeblatt auch Dein Sonnen = Licht empfindet.

**Sw. Churfl. Durchl.**

Wittenberg / am 12. des Herbst-Monats / welches der höchst-  
erfreuliche Gedächtnis - Tag / Dero vor drey Jahren bey  
Wien glücklichst wieder den Türken erhaltenen ruhmwürdig-  
sten Victorie / die Gott mit vielen folgenden / wie bisanhero /  
ferner bestätigen wolle! J. J. C. 1686.

Unterthänigst gehorsamste /

die

Uhrhebere.



RECTOR  
ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS,  
THEODORUS DASSOVIUS,  
POESEOS PROFESSOR PUBLICUS OR-  
DINAR. ET LL. OO. EXTRAORD.

CIVIBUS ACADEMICIS

S. P. D.

**R**Er multa retrò secula eun-  
dum, & ad *Cæsaris Justiniani* tempora  
respicendum foret, si VICEDOMI-  
NORUM appellatio cum antiquissima  
origine hic indagari altius deberet. Ju-  
re canonum, auctoritate Pontificiâ statutorum, VI-  
CEDOMINI Ecclesiæ PATRONI fundatoresqve  
salutantur. Seculis labentibus invaluit, ut, cum Ro-  
mano Præsuli asfidere tenerentur ordinarii Episcopi,  
habere possent VICEDOMINOS, Ecclesiam ipso-  
rum loco moderantes. *M. Aurelius Caspiodorus* tamen  
autor est in Variis, *Theodorici* tempore Regiis dome-  
sticis Comitibus adjunctos VICEDOMINOS fuisse,  
cum imperio sat gravi. Legimus apud *Hincmarum*,  
defensoribus Ecclesiæ ac Advocatis VICEDOMI-  
NOS associari, ut sine querela Pontificibus obsequium  
exhiberetur. Quando in Germaniæ has oras, & Sa-  
xoniam in primis, VICEDOMINORUM dignitas illa-  
ta sit, ipsa temporis longinquitas in dubio ponit. Officiū  
autem primū Nomen in sanguinem deinde ac Fami-  
lias illustriores transfusse, à præcipua Nobilitate in-  
clytum splendorem adeptum, pluribus ac luculentis nosci-  
tur indiciiis. Multa oppidò effluxere secula, cum Sa-  
xoniciis his terris atqve Ducibus insignes militaresqve  
operas probarunt suas Varii Heroes à *Vicedominis*  
cognominati. Gloriæ ac meritorum indies majora cepit  
incrementa Domus eminent, in id incumbens strenuè,  
ut pietatis sapientiæqve studia cum armis copularet.

A

Lon-



Longius enumeratu opus, & à nostro alienum instituto videretur, seriem pertexere Heroum togâ pariter ac fago celeberrimorum, qui & florent hodieqve, & hoc ævo claruerunt maximè. Sufficiet in præsens ad avitas laudes plenis famæ virtutumqve passibus contendere PARENTIS MAGNI & qui ipse hodie Vice-Domini per Lusatiâ Superiore nec non Consiliarii Electoralis officio immortali cum laude fungitur, CHRISTOPHORI VICEDOMINI AB ECSTAED, Dynastæ in Jahmen, Durrbach, Esfelberg, Colmen & Neuhoff, Generosos Filios, DN. CHRISTOPHORUM FRIDERICUM, & DN. GOTLOB CHRISTIANUM, Germanos Fratres, Academiæ nostratis Decora. Uterqve hodiè conscendet cathedram civilem, & peractis ritè pomeridianis sacris, in Auditorio majore Serenissimi ac Potentissimi SAX. ELECTORIS, Domini Nutritiiqve nostri Clementissimi, Heroicas virtutes pari & ingenio & obsequio delineare annitetur. Quâ in re subituri partes cum piissimorum sunt clientum, tum egregiorum Universitatis Civium. Ac major natu quidem FORTITUDINEM Augusti PRINCIPIS expendet, statuetqve monumentum, non marmoribus, metallis, cedris, temporum obnoxiiis edacitati, sed æternitati animorum & memoriæ posteritatis commendandum. Meritus profectò PATER PATRIÆ ab Heroicâ virtute id elogii est, tot generosis, & ad maxima Imperii Germanici momenta referendis actionibus. Præsentissimo discrimini pro Germaniæ securitate, quâ interfluente Rheno limitatur hodiè à Galliis, tutandâ se objecit. Cum anteipsum hoc triennium ducenta barbarorum millia (exceptis adhuc alibi relictis passim, per Pannonias in supplementum distributis, ex Europâ, Asia, & Africa colligeret, mœnibus Viennæ ostentaret, cor & Palladium Cæsaris Optimi arctissimâ obsidione cingeret Purpuratorum inter Thracas cum imperio supremo administer princeps, quem *Vestrum* prægrandem sui nominant, SA-



SAXONIÆ Magnanimus Dux, JOH. GEORGIUS III. auxiliatorum primus venit, vidit, vicit cum exercitu, virtute potius, quam numero prolixiori fretus, primus, inquam, ab audentia, qui in castris Muhammedanorum munitissimis victricia defixit signa, inter ordines sinistrae alae ductor volitans, non rediturus ante, quam vidisset superatum & vertentem terga hostem. Græciæ Peloponnesus nunc per orbem universum publicat, quid causæ fuerit, cur inter nives medias, interque frigora tantoperè accenderetur cura **PRINCIPIS** Divini, pro salute Christiani nominis: cum Venetorum Serenissimæ Republica dum miscuit consilia secreta ipsemet, & militare foedus pepigit. Infelix *Buda, Bude*, opus, sanguine fraterno impiatum crudelissimo ab *Attila*, huc usque, inter aliorum alias, experta vires Saxonum ac legiones oppugnantes est. Vix à se ipso impetrare potuit, quin proficisceretur iterum, **ALBERTI SAXONIS** (quem **MAXIMILIANO I.** imperante *Hectorem Teutonicum*, & *Dexteram Imperii* Summates nominabant) æmulus ex asse hæres, Heros noster, & exemplo suo animaret militem. Alter **VICEDOMINUS** id dabit operam, ut dignum pariter Famâ & Fortitudine Augusta Mnemosynon erigat, Templum **CLEMENTIÆ**. Depinger enim imaginem serenâ fronte, gratioso lumine, benigniore lingvâ, animoque *Hectorem* in **PATRIÆ PARENTE**; quamque nihil comitas severitati, gravitati bonitas, humanitasque Majestati deroget, firmisimis evincet argumentis. Neuter non rem aget strenuè, illustraturus laudes Inclyti, Magnanimique **PRINCIPIS**, oratione disertissimâ, nec non compolitissimâ: hâc tamen lege, ne in Patrum reliquorumque Auditorum patientiam prolixitate ambo peccent, temperare maluit sibi, non ultra horæ spacium, exceptis Muscis concentibus, dicturi. Vestrum erit **CIVES ACADEMICI**, solenniorem hanc Panegyrim, **HONORIBUS SAXONICIS** Augustisque **NATALIBUS** sacram, frequentissimo consuetu exornare. Sic namque fiet, ut & pietatis simul, & officiorum debita laudabili exemplo paratissimè solvatis. P.P. Dominica VIII. post **TRINIT.** Anno Salutis reparatæ clb lxxcvi.



ARIA

Zur Music vor dem Actu:

I.



Wohltauchtigst = Theures  
Landes = Haupt /

Du Krohn' und Zierde Grosser Helden /  
Im Fall den Musen auch erlaube /  
Dein unvergleichlich Lob zu melden /  
So laß jetzt auff Parnassens Spitzen  
Dein Helden-Bild / als Sonne blitzen.

II.

Was deiner Tugend himmlisch Licht  
Zu schuldiger Verehrung schauen /  
Und zu Bezeugung tieffster Pflicht  
Dir einen Ehren = Tempel bauen /  
Darein jedweder seine Bitte  
Und Wunsch für Dich / als Weyrrauch schütte!

III.

Dein Licht / das Feinde brennt und blendt /  
Kann unsern Musen Schatten geben /  
Dein Schwert / das keine Scheide kennt /  
Nimmt jenen und schützt uns das Leben :  
Der Himmel fülle dein Groß Gemüthe  
Mit gleicher Tapferkeit und Güthe.

IV.

Trum gönn uns diese Lust und Ruh  
Dass wir der Kauten Armuth schmecken  
Und schreiben dir die Wohlfahrt zu /  
Die Ihre Wirkungen erwecken /  
Wenn Sie mit Hülf und Rettung laben  
Was Türel und Pabst vergiffet haben.

V.

Es grün' auch hier das Lorber = Reich  
Das Dein gerechtes Schwert gebrochen /  
Als Du auf Götliches Geheiß  
Der Donau Schmach zu erst gerochen /  
Dass nun an andern Sieges = Kränzen  
Noch immer Deine Blumen glänzen.

VI.

Ist unsre Farb' und Hand zu matt  
Vergleichen Zierden fürzumahlen /  
So findet doch der Wille statt  
Und hebet sich durch Deine Strahlen /  
Ins künfftige von höhern Dingen  
Ein schuldigt Opfer DIX zu bringen.

108 ( ) 109





CHRISTO FAVENTE!

ORATIO PRIOR.

Sistens Statuam Fortitudinis Ju-

lio-Cæsareanæ & huic consimilis

SAXONICAE ELECTORALIS,

JOH. GEORGII III.

ETC. ETC.

☉ (\*\*\*\*\* ) ☽

RECTOR MAGNIFICE,

PATRES ACADEMIÆ CONSCRIPTI,

*Viri Magnifici, Summè-Reverendi, Consultissimi,*

*Experientissimi, Excellentissimi, Nobilissimi, Amplis-*

*simi, Clarissimi, Dm. Patroni, Præceptores Et Fautores, omni*

*officiorum genere colendi:*

*Tuque,*

*Lectissima Commilitum sœvissimorum Corona.*

**R**imus post menstruum  
dies hic labitur, quum auspiciatissimo,  
quod Saxonia imprimis universa lætetur,  
sydere illuxit OCTAVA CALEN-  
DAS JULII, Dies illa lætabilis, quæ &  
NOMINIS ELECTORALIS splendore corusca, &  
celebrati quatrinduo antè NATALIS EJUSDEM ra-  
dios suis velut admiscens, tantò solidioris gaudii præ-  
buit argumentum. Cujus publicè testandi ut sua cuique  
pietas facillè causam, semperque suggerit; ita serò etiam  
cultui, modò serius fit ac devotus, suum esse locum ac  
favorem, nemo dubitat. Equidem, quantà olim reli-

B

gio-



gione Græci pariter ac Romani diem eum, quo in lucem editi essent Imperatores & Principes, coluerint, quamque festum ac solenne id omne tempus habuerint, nemo tam hospes eorum in Historiâ est, quin cognitum pridem habeat. Apud Romanos certè tantuserat moris istius honos, ut in legem ac Jus deinceps abierit, & Dione ac Tacito referentibus, vel solo hoc nomine Consules abdicaverit Caligula, quòd Natali suo celebritatem & diem festum non indixerant. Triumviri quoque sub Cæsare Octaviano coëgerunt omnes, ut Julii Cæsaris Natalem laureati ac hilares celebrarent, eò etiam sancitò, ut qui id neglexissent, execrationibus Jovis haberentur obnoxii; sique Senator aut filius Senatoris in eo deliquisset, is multam decies sestertium numeraret. Ceterum neque intra unius alteriusve diei solennitatem ista substitit religio; quin ad *menstruum* plerumque & ulterius protensa spatium, tantò uberiorem affectùs prolixitatem prodidit, ac propriò solenniorem se habere Principum & illustrium Virorum Natalem docuit. De Mecænatis olim sui Natali Lyricorum Princeps:

*Jure solennis mihi, sanctiorq;  
 Penè Natali proprio, quòd ex hac  
 Luce Mecænatis meus affluentes  
 Ordinât annos.*

Qvem in modum Censorinus etiam Q. Cerealis natalem celebrans: *Quum singuli homines, inquit, suos tantummodò proprios colant Natales, ego tamen duplici quotannis officio huic religioni astringor. Nam quum ex Te Cerealem appellat) tuâq; amicitia honorem dignitatem, deus atque præsidium, cuncta deniq; vitæ præmia recipiam, nefas arbitror, si diem tuum, qui Te mihi in hanc lucem edidit, meo illo proprio negligentius celebrâvero. Ille enim mihi vitam, hic fructum vitæ atque ornamentum peperit. Quid nos? qui, quod illi amicitia sinceroque amoris tribuerunt, meritis Optumi Principis, ELECTORIS CLEMENTISSIMI debemus? quippe cujus*  
 NA-



NATALIS id nobis beneficii præstat, ut suum quis-  
que Natalem feliciter ac tranquillè transigere possit.  
Imprimis verò me, Fratremq; sanctior obstringit Reli-  
gio, Nataliq; Principis peculiare quoddam Pietatis of-  
ficium deposcit; quorum non solùm Majores atq; Pa-  
rentes, sed omnis adeò *Vicedominorum* familia PRINCI-  
PALI SAXONICÆ DOMUS Gratià nunquam non  
fota fuerit & adjuta. Quare id nobis potissimùm in-  
cumbere semper putavimus, tanto ut favori nostra re-  
sponderet obsequii fides, humillimæq; devotionis, quâ  
posset occasione, pignus daret & argumentum. Qvò mi-  
nùs miraturum quenquam Vestrum credo, A. H. cur nos  
potissimùm has gratulandi publicè partes, quâ quidem  
decet, modestiâ & humilitate, nobis sumserimus, im-  
pares utiq; negotio, & qui neq; ætate, neq; inge-  
nio, neq; dicendi peritiâ cum aliis ex ordine  
nostro simus comparandi. Ut autem sanctius at-  
q; perennius Diei hujus auspiciatissimi nostræq; de-  
votionis humillimæ extet monumentum, utq; meæ  
simul tenuitati atq; in dicendo infantia re-  
ctius consulam, quæ in percensendis, ne dicam cele-  
brandis universis, cum Optimo PRINCIPLE concessis  
nobis divinitus beneficiis, (quorum hoc tempore impri-  
mis gratam recolere memoriam Pietatis interest) jeju-  
niis longè ac infeliciùs esset versatura, misis jam ac se-  
positis ceteris omnibus, id unum saltem, quâ potero  
brevitate persequar, ut *quantum* FORTITUDINI  
PRINCIPIS AUGUSTISSIMI *debeamus*, quam-  
q; hæc ipsa Virtus excelsissima reliqvas inter Principa-  
les Ipsius dotes, velut inter ignes Luna minores emicet,  
oculis vestris animisq; evidentiùs paulò exponam; Id-  
q; quùm alias plures ac luculentas ob causas, quas sus-  
spicari cuivis in proclivi erit, tum antiquitatis etiam  
causâ, quæ hanc ipsam octavam Calendas Jul. *Forti For-  
tune* olim sacram habuit, & Sacra insuper Martialia idibus  
Mensis hujus celebravit, uti ex *Varrone*, *Ovidio* aliisque  
docuit sagacissimus antiquitatis scrutator, *Rosinus*.



Quid? quòd & fortissimi facillè Herois, Julii Cæsaris  
 Natalis, quartò Idus Julii olim celebratus proximè  
 JOHANNEUM HUNC NOSTRUM con-  
 tingat; Alexandrum quoque re & nomine Magnum  
 sexto mensis hujus natum, *Plutarchus* & *Ælianus* pro-  
 diderunt memoriæ. Quare & Veterum ego secutus  
 morem & institutum, qui Principum honoribus die Na-  
 tali Statuas consecrabant & simulacra, sanctè deinceps  
 ac religiosè etiam post fata ipsorum colenda, ipsè pari-  
 ter Fortitudinis elegantissimam speciem in *Potentissi-  
 mi ELECTORIS Nostri* imagine ita expressam, non  
 Praxitelis quidem aut Phydæ scalpello, aut Apellis vel  
 Zeuxis penicillo, (quo solo pingi Magnus Alexander vo-  
 luit) sed stylo, licet impari ac exili, delineabo. Ut in Ipsius  
 SUMMI PRINCIPIS EL. vultu augustissimo, graphi-  
 cè hîc, proxumè cathedram, depictò, non aliam,  
 deinceps quàm Hectoris alicujus aut Achillis, aut, qui  
 hos omnes Fortitudine rebusque præclare gestis supe-  
 rare creditur, *Julii Cæsaris Imaginem* videre Vobis ac su-  
 spicere sitis visuri. Equidem grave me subiisse onus de-  
 mum sentio, ac Lipsii recordor, excusantis alicubi de  
 militiâ scriptionem, quam ipsè non miles edere sustinue-  
 rit. Qui tantus tantiqve ingenii Vir quodsi minùs di-  
 gnè se traditurum existimavit, quæ suò non comperta u-  
 su & exercitio haberet, quâ ratione ego, qui procul omni  
 armorum strepitu & pulvere intra Musarum recessus ta-  
 citos & literata otia ad hoc ætatis perveni, parem rebus  
 Orationem afferre, tantumque verborum pondus, tan-  
 tam copiam ciere potero, quæ negotiorum magnitudi-  
 nem æquet, gestisque Max. Principis respondeat? Ve-  
 rum enim verò si laudem dicendo non emeruero, suffe-  
 cerit, pietatis & obsequii gloriam obtinuisse, Vestrique,  
 RECTOR MAGNIFICE & A. H. in me favoris,  
 ex benevolâ brevissimi temporis attentione, argumen-  
 tum exoculari. Quo quidem nomine Vestram omni-  
 um bonitatem, studio quàm decet enixissimo rogo  
 atque obtestor.

Ut



Ut verò plurima sint oppidò & augustissima, quæ  
 ipsò vultu Serenissimo prodit ELECTOR OPT. ma-  
 gnæ atque excellentissimæ virtutis cuiusque simulacra;  
 nescio tamen, an Fortitudinis venerandâ imagine, ulla  
 in Eo exstantior, aut quæ obtuentium animos oculos-  
 que majori luce perfundat. Quin omnes ad eam artus,  
 motus, nutusque ita compositos deprehendemus, ut  
 Fortissimorum MAJORUM indolem omnem uni Hu-  
 jus pectori impressam, unius augustissimo Vultu expres-  
 sam haud temerè simus arbitraturî. Ita nimirum Horatii  
 verbo, quod veritate suâ toties adduci meretur: Fortes  
 creantur fortibus & bonis, nec imbellem Aquilæ gene-  
 rant columbam. Neque adeò mirum, cum ipso statim  
 sanguine Heroicum ejusmodi Spiritum in Principem  
 Nostrum transiisse, quò periculorum quævis ambiguo-  
 râm intrepidus subiit. Infiniti laboris & longi tempo-  
 ris negotium foret, in spatiosum Historiæ Saxonicæ cam-  
 pū descendere, omniaque illa, quæ Sanguine hęc Heroico  
 genita sunt, miracula Fortitudinis atque prodigia, coram si-  
 ltere. Nā quid de FRIDERICIS, SEVERO, STRENUO & BEL-  
 LICOSO (ut priores taceam) quid de ALBERTO illo verè  
 ANIMOSO dicerem, quem ob invictâ armorum virtutem  
 & incredibile animi robur quidam TEUTONICUM  
 HECTOR EM; alii, & miles maximè, ROLANDUM  
 ALTERUM; Principes ipsi DEXTRAM IMPERII, Impera-  
 tores verò PATREM, *Custodemque Libertatis Publicæ* ap-  
 pellitârunt? Quibus laudibus veherem Herculeam ani-  
 mi vim invictissimi olim MAURITII, qui rebus præ-  
 clarè gestis eam Historiarum materiam orbi erudito de-  
 dit, quæ disertissima pridem fatigavit ora, cultissimâ-  
 que vicit ingenia? Jam AVI, Beatissimæ memoriæ  
 JOHANNIS GEORGII I. tot prælia, tot victorias  
 atque triumphos si enumerare sustinerem, annalium o-  
 pus texerem, historiarumque nesciis non nisi fabulas  
 narrare viderer. Sufficiat igitur dixisse, nunquam à se  
 ipso degenerare Saxonicum Sanguinem, sed sui semper  
 C  
 simi-



similem Virtutem Heroicam (faxit DEUS ad ultimam usque posteritatem!) propagare. In NOSTRI certè vel primâ ætate generosi istiusmodi emicuerunt igniculi, qui solerti deinceps educatione foti & enutriti eum jam tum ardorem promittebant, cujus nunc vim suspiciunt omnes & venerantur. Quò quum & *Serenissimus* PARENS mirum in modum delectaretur, nihil prius, nihil antiquius habuit, quam ut vario exercitiorum illustrium genere, magis magisque eliceretur, eoque tanquam certaminum graviorum, simulacro quòdam & imagine futuræ Virtuti præcludere assuesceret. Nec desistit docentium industriam *Principis* in discendo felicitas, sed tanta alacritate illa omnia imbibit, ut cujusvis mox spem & gaudium, mox admirationem atque stuporem provocaret. Hinc equitare intra cancellos pro consequendo brabeo, aggrediendo cædendoque feras, victoriosum aliquem imitari bellatorem, & quæ sunt alia hujus generis belli pugnarumque præludia, non alius magis, ne dicam Principum, sed eorum etiam, quos summo studio per totam vitam talibus incumbere juvat, & calluit unquam & exercuit. Itaque etiam dum tenerior *Principis* animus virilibus ausis adfvetus corpus pariter ad patientiam laborum ac tempestatum ipse maturè confirmabat. Unde omninari in proclivi erat, qualem se olim præstiturus esset in serio magis ac severo Reipubl. negotio, & quocunque casu, quem ferre posset necessitas. Neque fefellit sanè augurium, quin, quod prælagiebant tunc omnes, nos experti sumus, & quem illi optabant, nos videmus coram ac veneramur Heroem invictissimum, imò talem qui, quicquid gloriæ fortissimi quique, junctis invicem Virtutibus, habent, solus & summâ quâdam perfectione sibi vindicat. Equidem plurimos bellicæ Virtutis gloriâ insignes comperimus Heroas alios, sed nec multo pauciores, quialiquam subinde labem isti laudi asperse.



ferint. Ita intrepido aliquis animo hostes aggressus est, sed suis nimium viribus confusus, neglecto Numinis auxilio, necessariam Fortitudinis comitem desiderari passus est pietatem. Alius omnia periculorum ambigua nimotus subiit, sed quia temporis & Prudentiae rationem nihil non secutus, caeco impetu proruit, vera Fortitudinis gloria privatus. Vincere alius, sed Victoriâ uti nescit, Neque in omni bellandi genere unus aequè præcipuam laudem invenit. At nostro Principi quanta concordia, quantus concentus omnium hujus generis laudum est? Quandoquæ bellandi ingruit necessitas, ac pro patriæ salute, pro libertate in armis standum est, animo quidem haudquaquam dejectus hostes repellere parat, Divini tamen Numinis auxilium ardentissimis precibus sibi simul exorans, Pietatem Fortitudini pulcherrimo nexu conjungit. Spartani olim ad bellum ituri non tympanis non lituis, sed solis Poëtæ Tyrtæi versibus animos inflammabant. **NOSTER** sacri Præconis voce ex Bibliis sub cuiusvis pugnae auspicia hortari suos ac excitare iussit. Nam uti Platonis Ethnici Christiano prope modum effato: Nemo vir magnus sine afflatu divino unquam exstitit; ita nec nisi invocato Divino Numine audere magnum aliquid aut perficere licet. Ajaci etiam Ethnico exprobrat ipse Ethnicus Homerus, quod ad pugnam iturus, monitusque de Deorum in partes vocando auxilio, ignavis, responderit, illo opus esse. Secus **NOSTER**, qui ad exemplum Constantini M. in solo Crucis & Lucis Divinae Signo vincere se posse ratus, symboliacæ tesserae velut militaris loco illud Davidicum usurpat: **DOMINUS VEXILLUM MEUM!** Der Herr ist mein Panier! Imò pari pietatis sensu devotissimo etiam subditorum corda imbuit, injunctâ subinde, pro exigente rerum necessitate, precum publicarum, juniorum item & supplicationum solennium religione.



Atque sic cœlestibus auxiliis succinctus, arma victorica feliciter stringit, & obvios quosque hostes confidentissimâ virtute aggreditur. Neque tamen armis magis aut heroico spiritu, quàm prudentibus pugnat consiliis. Probè gnarus, verè dici apud *Polybium*: *Κορον ἐν ἑλένεια τὰς πολλὰς χεῖρας νικά*, *Consilium unum prudens magnam militum manum vincit*. Ea verò si unius consilii vis est, quid plura, cum quæ expertis summè ac celeberrimis Belli Ducibus, quos liberali semper gratia fovet, communicata & suggesta vicissim consilia valuisse putabimus? GOLZIANA imprimis & FLEMINGIANA, Belli Fulminum, non temere unquam sed nec impune cum JOVE SVO SAXONICO irruentium. Quare, si flecti ratione hostis, si devinci-ri cedere salutari, si dolo denique legitimo illudi & de- jici molitionum machina possit, abstinet potius armis NOSTER, parcit Patriæ, quieti publicæ, militi, hosti- bus, nec quod Augustus Imp. divasit, aureo piscatur hamo. Ubi a. nullo istorum ad salutem ac securitatem proficitur, quâ data causâ legitima, ruit vindice dextrâ, & insultantem temere proterviam conculcat. Leoninâ utrinque virtute,

*parcere subjectis & debellare superbos,*  
doctus, admirando prorsus exemplo prodit, quantum in bello valeant Fortitudo & prudentia, sororio inter se vinculo copulata. Scilicet hæc Julianæ olim fortitudinis dos prima pariter numeratur, quod nisi circum- spectis probè omnibus, exploratis hostium consiliis, itinere, viribus, animo, in arenam haud facilè descen- derit, singulas prudentiæ militaris partes non stilo magis in suis historiarum libris, quàm factò in expeditioni- bus quibuscunque expressurus. Ceterum quod *Salu- stius* dixit: *Postquam consulueris, maturè factò opus est*, non alius magis, quàm idem laudatissimus Cæsar & no- ster Cæsare major SAXO dictum sibi putarunt. Ale- xandri exemplo *μηδὲν ἀναπαύομενοι*, nihil quidquam, ut

*Luca-*



*Lucanus* reddidit, actum credentes si quid superesset agendum. Neque enim minus paullo momentum bellicis rebus adfert ipsa expediendi velocitas, & imminens cuicumque occasione solertia, quæ vel casu oblata vertantur in consilium, & fortunæ nutui etiam leviori deserviat. Itaque ut primum pietate pectus, prudenti circumspectione caput, virtuteque ac robore invicto dextram armavit NOSTER, quantâ pedes alacritate movet, quam copiarum festinationem exemplo urget, vota propè omnium & oculos fidemque antevertens? Tum verò totos dies in equo discurrere, cohortes circumire ac turmas, adesse ubique, & vel facienda præcipere, vel exigere præcepta, sudoremque principalem miscere pulveri, refectiois ipsi loco est. Tum nihil à reliquo cœtu nisi robore & præstantia differt, titulis, cultu & signis imperator; labore, vigilantia ac tolerantia miles, tantò plus virtutis in copiis suis experitur, quantò ipse suâ plus expressit: tantò prouiora obsequia, quantò faciliora dedit ipse auspicia. Hinc enim amoris, alacres, hinc pudoris, segniore tracti vinculis, vel nutus auctoritatem sequuntur, eumque colunt iuvant, tuentur promptissimè Ducem, quem non tantum studia sua laboresque ut exactorem intendere sed tanquam socium participemque relevare, bellicæ & hostium & fortunæ & cœli injurias non minus constanti subire animo adverterint. Fuit & hæc quondam Julii (ad cujus prototypum subinde mihi respiciendum est, in effigendo Fortitudinis Saxonicæ simulacro) Fuit hæc, inquam, & Julii sagacissima moderatio, ut gravitatem ipsâ comitate tueretur, utraqve Imperatorem & commilitonem subinde miscens, non disciplinâ magis, quam exemplo suos in officio contineret. Ceterum similis utrinque instituti non dissimilis eventus fuit, non dispar felicitas. Nisi quidem NOSTRI majorem longè & illustriorem, quàm ex ipso armorum & belligerandi hodierno usu, tum ex amplioribus inde in

D

Remp.



Remp. eamque Christianam commodis jure suo dixerimus. Atque de his quidem, quod de Carthagine *Salustius* ait, tacere quam pauca dicere satius utique jam foret, nisi argumenti, quod ingressus sum, ratio religiosam mihi vel jejune dicendi necessitatem imponeret, aut si citra ingrati animi notam possent ea non sæpissimè commemorari. Quare recordamini jam ipsi A. H. haud dubiè, quam undecimus ante hunc annus testandæ Virtuti materiam Nostro præbuerit. Ortum nimirum in Belgio belli incendium totam prope modum Germaniam derepente involverat. Antiquæ Germanorum Libertati velut è specula insidiabatur Gallicus nostri temporis Philippus. Id omnibus modis agebat ambitionis plus quam Monarchicæ cestro percitus Rex, ut non Patriæ solum nostræ, sed vicinis etiam Regnis acerbissimum servitutis jugum, quantum in ipso esset, imponeret, & quidquid huic animi impotentiae obstaret ac destinatorum ordinem decentissimâ quavis ratione evertere auderet, si minùs argentò corrupti ac trahi in partes possent, igne, ferroque subigeretur.

Quid tum NOSTER? Ratus ad se pertinere moti in proximo incendi periculum, laboranti Reip. præsto aderat, omnesque hostilium armorum impetus excipiebat pariter ac propulabat. Cum exiguâ sed lectissimâ militum manu Saxoniam egressus, eas derepente terras adiit, quibus tum belli moles incumbebat, signisque aliquoties cum hoste collatis, liberam Francorum gentem ignobili jugo, Rheni accolæ Gallorum sævitiae, universam denique Germaniam Regis istius impotentiae fortiùs an feliciùs? eripuit. Quò utut maximo & ad omnem ætatem memorabili facinore tamen prælusisse saltem majoribus videtur. Quid enim jam de stupendâ illa sive virtute, sive celeritate, sive felicitate dicam, quâ ante triennium istud IN LIBERANDA VINDOBONA CÆSAREA non elogium tantum omne, sed ipsam adeò, nisi contuentium, fidem omnem superavit?



vit? Equidem A. H. non sine hōrrore animum Ve-  
 strum subibit unquam memoria discriminis illius post  
 hominum memoriam maximi, quod fidelium tunc  
 cœtui, ab infensissimo Christiani Nominis hoste im-  
 minebat. Vasto is sese impetu in Hungariam Germa-  
 niamque effuderat, terrorem, rapinas, incendia impunè  
 circumferens quocunq̄ve eum effrænis libido & impo-  
 tentia furoris agebat. Quæ per omnes sexus, ætates,  
 ordines ita grassabatur, ut cum plebe periret no-  
 bilitas, cum senectute venerabili juvenus, tenellique  
 infantes, nisi qui Muhammedanis imbuendi blasphemius  
 ac servitiis mancipandi duriorē morte vitam, tristi be-  
 neficio, servarent. Lubrica pasim sanguine Christia-  
 norum terra, luctuq̄ve ferali, planctu atq̄ve suspiriis pio-  
 rum undiq̄vaq̄ve remugiens, tam tristē sicut rerum  
 faciem, qualis, cūm conclamata sunt omnia, nocteque  
 ac tenebris involuta, vel concipi potest. Jamq̄ve  
 in Arce Vindobonensi Cæsareā cor ipsum atq̄ve Pal-  
 ladium Christiani orbis tam repentino ac atroci incur-  
 su infestabant Barbari, tam pertinacibus quatiebant im-  
 pulsibus, ut cessura mox furori ignium cædiumque  
 videbatur, nisi cœlesti oppidō, & quod eventus quā  
 maximè docuit, HEROICO VERE SPIRITU excitatus  
 NOSTER cum instructissimo exercitu, benigni ac ve-  
 locissimi instar sideris, longinqua itinerū emensus, adful-  
 sisset nutanti, cumque fulgore arma, cum armis cædem  
 clademq̄; & cum clade terrorem fugientibus inferens,  
 Sociorum quorundā adjutus ope, properantia Christia-  
 norum vota celeriori victoriā prævertisset. Ut non ve-  
 riùs olim suā de velocitate rescripserit *Julius* glorio-  
 sum illud: VENI, VIDI, VICI, quā *Noster Princeps*  
 id quidem potuerit, qui visō vix hoste multō immaniori,  
 correptisque vixdum armis, majori longē impetu ur-  
 gebat, fulminabat, sternebat. Primum enim cum suis  
 in hostes fuisse, primamque edidisse stragem propa-  
 lam constat, & frustra dissimulant, qui partium stu-



dio abrepti, eam INVICTISSIMI SAXONIS saltem reli-  
gioni gloriam invident. Vix enim aliquem è sequioris  
fidei scriptoribus hæcenus quidem reperias, qui pari  
cum MALEGONELLO Romano, candore, æternum id  
decus Saxonibus adferat. *Primum, inqviante, belli im-  
petum fortissimi Saxones exceperere, qui, tanquam pro mo-  
do virtutis, fortunæ gradus deberetur, primâ in acie con-  
stituti, illatis ultrò acceptisque vulneribus in vestigio quis-  
que suo, famæque superstites cecidere, haud indigni illi-  
us imperio PRINCIPIS, à quò gloriosissime ducebantur.* Ac sanè quò vultu HIC animòq;, & quàm imper-  
territo planè præsentissimis periculis, positâ etiam ga-  
leâ & lorica, frontem ac pectus objectârît, quàm  
per obvias undiqve mortes, per erumpentia cælo ter-  
risqve fulmina huc illuc volitans, successerit fessis,  
laudârît strenuos, retinuerit cedentes, nisi qui oculis  
usurpârît ipse, vix credat nedum eloqvatur alius. Quid?  
quod ex ipsis pugnæ sociis atqve arbitris non pauci, pe-  
riclitanti subinde ELECTORIS vitæ timentibus, inqve  
stuporem velut actis, riguisse oculos, stetitisse comas,  
vocemqve faucibus hæsisse sibi profiteantur, usqve  
dum collecto deniqve animo, irruentem subinde ad mi-  
nùs tuta PRINCIPEM ægrè retinuerint, satis grande,  
ingerentes, momentum victoriæ, si tradat auspicia & for-  
midatum Nomen intentet. Etenim quem domi AUGU-  
STISSIMARUM MATRIS, UXORIS, SOBOLIS  
preces, ab expeditionis difficillimæ auspiciis avocare  
non poterant, neqve nunc eò jam progressum usqve  
victoriæ tardare adlitum ministrorum vota aut confi-  
lia valebant. Itaqve, non nisi cæso, post acerrimum  
conflictum, profligatoqve hostium agmine, eversis ca-  
stris, ereptis signis, armis, machinis, omnique adparatu  
& opibus, in liberatam spe citius Vindobonam victricia  
demum signa infert, quiete, quam ipsi reddiderat pri-  
mùm gavilurus. Atq; hic A. H. rectius & mihi quiescèn-  
dum fortè videtur, quàm ad explicanda, quæ victoriam  
hanc consecuta universim sunt uti commoda ita tripu-  
dia



dia pergendum. Tot enim utique ac tanta ea sunt, quibus nec Tullianum fortè flumen, nedum nostra suffecerit ariditas. Veterum sanè, quæ de rebus in bello præclare gestis circumferuntur, monumenta multa & illustria minò hodie miramur, ex quo omnè quæcunque illius gloriæ summam unâ hâc in victoriâ contineri agnoscimus. JULII plures victoriæ, quàm vitæ anni numerantur; sed & occisorum ipsius auspiciis undecies centena millia hominum, nec cives inter hos pauci numerantur. De ipso victoriarum usu ad Dominium & Principatum ut nihil jam commemorem. NOSTER gloriosissimus victor vix cohortium aliquot jacturâ id præstitit Imperatori, Imperio, Principibus, Germaniæ, & universo, quâ patet, orbi Christiano, quod ad illos omnium victoriarum fructus compositum, vix nominis meritum integrum eis relinquit. Usque adeo non habet ex omni fastorum memoria, quod in consortium laudis immensæ, gloriæq; comparationem admittat. Nisi fortè in ipsâ Gente suâ Serenissimâ ad ANIMOSUM illum quem supra diximus ALBERTUM hîc iterum respiciat. QUI MAXIMILIANI I. rebus tunc fortè nutantibus tantâ pariter promptitudine adfuit, eâq; virtute Imperii dignitatem & nomen Austriacum asseruit, quàm nec hostis illaudatam relinqueret, publicè professus, uno absq; ALBERTO si fuisset, se mediâ in Germaniâ fuisse castra positurum. Equidem quid nunc de Austria ipsaq; Germaniâ futurum fuisset, tam inani Barbarorum impetu non masculè represso, nemo nostrum, credo, est, quin præcipiat animo. Quò rectius pariter intelligunt omnes, QUANTUM PRINCIPIS NOSTRI FORTITUDINI DEBEATUR. Expressum id curatius per saturam videtur, quàm ipse hîc possum, in Moneta illa Svecica A. CIO IOC LX. CAROLI GUSTAVI REGIS Honoribus dicatâ, quæ singulas Regii Ornatus partes singulo lemmate insignitas exhibet. *Coronæ* addita: MAJESTAS PUBLICA. *Sceptro*: TUTELA CIVIUM. *Orbi*: CURA RELIGIONIS. *Clavi*: VITA IMPERII. *Ensi*: CUSTODIA LEGUM. Certè si AUGUSTISSIMI IMPERATORIS IMPERIIQUE MAJESTATEM publicam pronò humilique vultu suspiciamus, plurimùm ei roboris & ad



compescendos magis magisque; Thracas praesidi & ad recuperanda, quod  
vovemus ac ominamur, BUDAM, finesque illos omnes, bonae spei ac fi-  
duciae, una illa Victoria Vindobonensi accessisse, fateamur, necesse  
est. Civium porro omnium salus ac securitas, quomodo vitam veluti spi-  
ritumque inde receperit, publici abunde plausus docuerunt. Doctrinae sa-  
cræ puritatem ne polluat ultra blasphemam hæresis, Fortitudini PRIN-  
CIPIS debemus. Legum & quæ his continetur, morum sanctimon-  
iam ne promiscua temeret licentia, eidem debemus Fortitudini.

Cui porro delineandæ quod magis ingenii aciem intendo, eodè minùs  
sufficere mentem manumque intelligo. Quam de tabulâ denique istâ ad  
Vos converto A. H. enixè rogans, ut, quod in eâ non assecutus sum  
Principale Decus, sublimitati ac splendori tribuatis, vestroque benignio-  
ri supplicatis iudicio: nõ commissuri, ut debito ejus honori nostrâ infirmi-  
tate quidquam decedat. Quare, quod superest, impertimini cultu &  
salutatione religiosissimâ egregium istud **FORTITUDINIS PRINCI-  
PALIS SIMULACRUM!** Osculamini pectus Pietate & Zelo religionis  
æstuans! Reveremini Caput prudentissimè circumspiciens; Frontem ex-  
porrectam & imperterritam: Oculos suâ majestate, & quam minantur  
refractariis, severitate timendos, hostibus terrores, subditis delicias: Ora  
cum fulmine quòdam resoluta: Manus ori compares, & non minori fe-  
licitate quàm fortitudine hostium capitibus imminentes: denique Pedes,  
ut adeundo celeres, sic pugnando pertinacissimè instantes! Salve igitur,  
*Josua* nobis alter, **ELECTOR MERITISSIME!** Ter, & amplius salve, re-  
divive *GIDEON!* Chara Deûm Suboles, Magnum Patriæ Incrementum!  
**QVO** TE cultu, quibus gratis, & quibus denique eas verbis impertiemus,  
cui non fortunas modo, & quidquid sumus ac possidemus, sed hunc, quem  
trahimus, spiritum, si à cœlesti Numine discefferimus, debemus? Alcibia-  
dem accepimus, à devictis olim hostibus Athenas reducem tantò civium  
plausu, tamquæ exquisito exceptum honore, ut quum sanctius & augustius  
quod offerrent, nihil haberent, ipsos venienti Deos gratulantes obviam  
tulerint: non ut victorem illum, aut victoriæ pacisque assertorem, sed ut  
ipsam Victoriæ ædificiis demissam intuiti certatim ac venerati.

Nos saniori religione, non TIBI Deus; sed TE DEO offerem9. Devo-  
tis ipsum rogantes precibus, ut TE commune totius Imperii Præsidium  
perpetuò foveat, prosperet ac tueatur! ut Imperio Tuo ac ductu Patriam  
ubiq; salvam, ubiq; compotem Libertatis ac tenacem Religionis præstet,  
TEQ; ac TUOS omni bonorum Principalium cumulo adaugeat! Eat  
Fortissimi Principum in Secula celebritas! Sistas se in FILIO ac NEPOTE  
quòvis incluta Virtus, & in QVARTO imprimis JOH. GEORGIO TRES  
PRIORES nobis reddat! Ferat & HUNC quocunq; tendit, ipsa Salus, Vo-  
tisq; Ejus præveniat factorum benevolentia! Audi preces has Supremum  
Numen, & felicitati, quam dedisti, fave, tantisque muneribus adde perpe-  
tuitatem! DIXI.

CHRISTOPH. FRIDER. VICE-DOM.  
AB ECSTAED.





CLEMENTISSIMO!

GUBERNANTE CHRISTO!

ORATIO POSTERIOR.

Sistens

TEMPLUM CLEMENTIÆ,  
STATVÆ FORTITVDINIS ELECTORALIS,  
recipiendæ Sacrum!

MAGNIFICE DOMINE RECTOR,

PATRES ACADEMIÆ CONSCRIPTI,

*Dnm. Patroni, Præceptores ac Fautores, quâ  
par est observantiâ, cultu ac studio prosequendi, Hospi-  
tes item ac Auditores reliqui omnium Or-  
dinum Honoratissimi,*

*Tuqve, Commilitonum Corona florentissima:*



VUM PLURIMA ESSENT OLIM,  
quæ Principum Natalibus dicarent  
Eqvites Romani, solennia; tùm cer-  
taminibus præcipuè ac ludis Eqve-  
stribus non ipsum saltem diem il-  
lum, sed complures etiam secutos  
læti lubentesqve confumferunt, ut  
nullum se agona, nullum discrimen pro salute Prin-  
cipis non subituros indicarent. Quod torneamento-  
rum (ut appellant nostri) genus inde ad Avorum us-  
qve nostrorum tempora traductum, et si gravissimis  
rationum politicarum momentis submotum pridem  
ac abrogatum sit, consimili tamen quodam, sed tran-  
quilliori & Literario Certaminis genere POTENTIS-

F

SIMI



SIMI ELECTORIS NOSTRI SACRIS NATALITIIS ac Onomasteriis litare humillimè, tantum abest, ut licere minùs existimem; ut potius & prævio Fratris exemplo accensus, & Superiorum stimulis actus, piæqve adeò æmulationis ac devotionis oestro percitus, cum ipso hoc Germano amantissimo in contentionem jam ituro, quantum is in dedicanda *Fortitudinis Statua*, inqve effingenda, ad hujus formam ac normam, *Novi Julii Cæsaris*, h. e. **JOH. GEORGII III.** *Serenissimi Electoris nostri imagine* elaboravit, tantum nunc operæ daturus ego sim, ut digno eadem nec Augusto minùs, quàm ipsa est, loco reponatur, sanctiùs tantò ac diuturniùs colenda. Quod dum meditor, commodum in mentem venit Romani illius Templi Clementiæ, quod Cæsaris dicatum honoribus, ipse etiam effigiem recepisse deinceps atqve asservasse, Plutarchus, præter alios, Autor est, fidelissimus Antiquitatis Romanæ promus condus. Quoniam enim Victoriæ etiam Templum fortissimi Julii, ac Victoriis, si quisquam Cæsarium, incluti, meritis exstruxerint, statuam tamen ejus in illo digniùs decentiusqve locari existimârunt. Ac sanè, cum in omnibus facile institutis suis singulari rem prodidit sapientiam Romanorum gens sagacissima, tum hoc imprimis, quod Julii Cæsaris, h. e. ipse quasi Fortitudinis simulacrum non alio, quàm Clementiæ in templo coli voluit & celebrari, eximium quidpiam haud dubiè ac dignum altissimis mentibus innuere fategit. Certè, nisi me omnia fallunt, hoc inter cetera potissimum, quod fortitudinis uti pronior in, sævitiam lapsus, ita amplior oppidò & excelsior laus sit, quum eò perverfitatis se abripi nequaquam passa, æquali potius cum Clementia fastigio firmiter insistat, ac pari cum illa æqvitatibus lance quovis tempore, libretur. Tantum enim utiqve abest, ut Comitatus Sinceritati, ut Gravitati Bonitas, ut Humanitas Majestati quidpiam deroget, ut potius fororior quodam vinculo velut connexæ omnes tantò svaviorem laudis gloriæqve concentum pariant. Deinde sive inter Divos numera-



merare colereque Cæsarem constituisſent Romani, perfectum omninò habebant, non alià eum propius ad DEorum naturam accesiſſe Virtute, quàm Clementià, quæ Claudiani effato, ſola Diis nos æquat; ſive inter Principes imperii ſummos ac celeberrimos ſummo ac principe loco haberi eum vellent, non alià æq; quàm Clementiæ ipſius inuſitatæ perenni memoria id effectum iri prudentiſſimè ſtatuebant. Etenim rectè in hanc rem Seneca divinus:

*Pulchrum eminere eſt inter illuſtres Viros;*

*Conſulere Patriæ, parcere afflictis; ferà*

*Cæde abſtinere, tempus atq; iræ dare,*

*Orbi quietem, Seculo pacem ſuà.*

**HÆC SUMMA VIRTUS, PETITUR HAC  
COELUM VIA.**

Et eſt, ubi Romanæ Eloquentiæ Princeps, Cicero ita Cæsarem compellat: *Nihil habet nec fortuna tua majus, quàm ut poſſis, nec natura tua melius, quàm ut velis ſervare plurimos.* Ubi ſanè laudis ac Dignitatis Cæſaræ utramq; velut paginam optima Virtutum CLEMENTIA conſtituit.

Atq; hæc eadem cùm & *incluto Noſtro Julio Cæſari*, ELECTORI, inquam, *Sereniſſimo* propria laus, primaq; ac præcipua facilè dos ſit, quòd fortitudinem ſummam ac Gravitationem pari Clementia temperare didicerit, ſicq; non tantum ſtrenuum ſeſe GEORGIUM, belli pacisq; ſtudiis inſignem, totoq; orbe celebrem, ſed JOHANNEM quoq; *Gratiſſum*, & ad manſuetudinem ſummam planè compoſitum univerſim præbeat; quumq; ipſa adeò *Diei & Nominis Johanni* ſvavitas *Clementiæ* nobis memoriam præ ceteris in Principali illo ſaſtigio Virtutibus eminentiſſimis inſinuet atq; commendet, nihil à Feſti hujus auguſtiſſimi religione alienum, nihil Electorali ſplendore indignum, nihil deniq; Veſtro RECT. MAGN. *Auditorisq; Honoratiſſimi*, obtutu atq; arbitrato benigno ingratum me admiſſurum exiſtimo, ſi celebrandæ fe-



ftiori Lucis Solennitati & Honori qualicunqve,  
 non aliud, quàm CLEMENTIÆ quoddam TEM-  
 PLUM, arte quidem nullâ, nisi Oratoriâ quadam exstru-  
 ctum, nulloq; cultu exquisitiori perpolitum, religiosum  
 tamen oppidò & in nostris omnium animis haud du-  
 biè perennaturum, laudatâ à Germano meo PO-  
 TENTISSIMI ELECTORIS Fortitudini, ejusque in  
 honorem positæ Julianæ Statuæ subjectissimâ mente  
 manuq; consecraverò. Quod ipsum molienti opus vi-  
 res eqvidem se sanè subtrahunt, utpote tantò imbecil-  
 liores, tantoq; magis impares, quântò illustrior, ac splen-  
 didior & Persona, cui dicatur, & ipsa est Structura e-  
 rigenda. Etenim nec Architectonicæ peritus artis, nec  
 iis Oratoriæ præfidiis instructus sum, ut, quod solidita-  
 ti & elegantiae ædificii desit, coloribus, aulæis, simili-  
 busque phaleris velut & mangoniis tegere ac exorna-  
 re possim. Cæterum in magnis ipse conatus laudabilis  
 est, sæpiusque sufficit, vel voluisse. Nemini fraudi fu-  
 it DEum colere quocunq; possit modo, & res viles  
 templis dicatæ à Consecrantis animo non rarè preti-  
 um sumserunt. Vestram autem, H. A. Benevolentiam  
 atq; auscultandi studium, quoniam mihi etiam infra argu-  
 menti dignitatem dicturo sitis probaturi, dubitare me  
 minimè facit, quum erga ipsum, qui DEus nobis hæc  
 otia fecit, *Principem Serenissimum* devotio; tum quem  
 ante me dicenti Fratri declaratis haud obscure, favor  
 & attentio benignissima. Cujus continuandæ studi-  
 um enixissimâ animi contentione rogo, ut ope vestra  
 ac gratiâ sublevato & mihi primam operi ulti-  
 mamque manum tantò lætius ac felicius imponere  
 liceat.

Tractatio  
 Sittens  
 TEMPLI  
 I.  
 Fundamen-  
 tum.

QVæ prima igitur ac præcipua facile Architecto-  
 rum cura esse solet, ut jaciendò dignè fundamento  
 solidissima quæque seligant, quæ & ætati, &  
 moli ferendæ paria cumprimis visâ fuerint; eâ verò me  
 sublevat *Synesius*, Orator Græcus commodum inge-  
 rens: εὐσέβεια δὲ πρῶτον ὑποβεβλήθη, κρητὶς ἀσφαλῆς ἐστὶν ἢ ἐση-  
 ζει τὸ ἀγαλλμα ἐμπεδὸν τῆς βασιλείας. *Pietas*, inquit, *primum*  
*subster-*



*substernitor, fulcrum, cui firmiter simulacrum hoc re-*  
*gni insistat, firmisimum.* Haud alieno à Syracidis, Da-  
 vidis, aliorumq̄ve Θεοπνεύτων dictamine, qvò Pietatem  
 omnis boni initium ac fundamentum passim adstruunt.  
 Ac mirari poterat subire animadvertentibus, qvo Zelo,  
 qvàmqve unanimi prope suffragio atqve concentu, qvi  
 inter Gentiles imperantium animos dignis imbuerè præ-  
 ceptis fategerunt, idem olim inculcârint. Πρώτων ἢ περὶ Θε-  
 ῶν Πημέλεια; prima, inquit Aristoteles in Politicis, divina-  
 rum rerum cura esto; Subjunctâ alibi ratione: τὰς Θεὰς ἐυ-  
 νστέρας εἶναι τοῖς μάλιστα ἀντὶς τιμῶσι, DEOS proniores esse affe-  
 ctu illis, qvi maximè sollicitò eos cultu prosequantur.  
 Etenim sanè Religio & pietas, qvum per se ad concilian-  
 dam DEi gratiam valet, tum suos & in societate humana  
 maximos habet effectus, qvæ Grotiana in hanc rem ver-  
 ba sunt. Atqve ut prudentissimè apud Xenophontem  
 Cyrus ait, subditos hoc sibi addictiores fore, qvò DEI  
 essent reverentiores; ita vicissim, ex Aristotelis senten-  
 tia, minùs metuet populus, iniqua se aut indigna un-  
 quam passurum à Principe, qvem religiosum credat.  
 Qvare nec ego firmiori aliâ aut duriori in rupe, qvàm pi-  
 etatis ac religionis collocavero, qvòd molior, CLEMEN-  
 TIÆ TEMPLUM; qvum præsertim ea & ipsi, cujus id  
 Honoribus paratur, ELECTORI Piissimo optumè  
 conveniat? Qvotus enim quisqve nostrum est, qvem  
 lateat, qvàm religiosis oppidò auspiciis & sumserit is  
 imperii sui fasces & in hunc usqve diem, (ò perenni  
 faxit DEUS felicitate!) tueatur? Memineritis Aud.H.  
 nec sine acerbissimi doloris sensu memineritis, qvæ an-  
 te qvadiennium istud fata Patriæ fuerint, qvum post  
 ereptum Beatissimæ Memoræ PRINCEPEM PATREM  
**JOH. GEORGIUM II.** edecumatum  
 Principalis Gloriæ ac Virtutis exemplar, summus qvo-  
 que Sacrorum Saxoniorum Mysta & Antesignanus  
 MARTINUS GEIERUS (vah! qvàm augustum Ecclesiis no-  
 stris nomen, & nisi cognominibus LUTHERO ac CHEM-  
 NITIO Duumviris nulli facilè comparandum!) ad aulæ  
 cœlestis sacra evocatus, afflictissimas Patriæ lugentis  
 G & cum



& cum peste insuper etiam luctantis res, tantò pejori acturbulento magis loco reliquerit. Quid verò tùm **SE-RENISSIMUS** Noster? Non admovit capeffendo regimini mentem manumve, quin de furrogando dignissimo Successore, in quo vitæ ac doctrinæ dotes pari lucerent jubare, Lucio, priorem ac sanctiorem curam susciperet. Nòrunt, nec sine summa animi oblectatione referunt, qui primis tum **ELECTORIS** autoritate celebratis interfuère Comitii Dresdensibus, quum *Potentissimo* **IPSIUS** *Nomine, Illustrissimus* **GERSDORFFIVS** ad inclutam Statuum concionem prima faceret verba, & exposità novi Electoris voluntate ac consiliis, de religionis quoque negotio sanctissimo, tuendâque more Majorum ejus puritate fidem faceret; quò annuerit gestu pientissimus Princeps, quàm moverit lacertos manusque ac oculos, hostibus veritatis extrema velut minitantes, quò colore genas tinxerit sanguis Electoralis, jam subsiliens quasi ad tingenda, ubi religionis necessitas urgeret, hæreticorum cadavera. Credo prælagisse sibi aliisque tunc divinum pectus, quale se paulò post præbiturum esset, cum infensissimus Christiani nominis hostis, turbatis valdè attritisque Austriæ & Pannoniæ rebus in una Viennensium arce totius Christiani orbis libertatem atque fortunas, quantâ vi poterat immanissimâ, peteret ac infestaret. Tali scilicet, tamque cœlesti percitum impetu & heroico plenum Spiritu, ut ad præsentissima, queis objectabatur pericula, immotum planè ac imperterritum, editi facinoris insolitâ magnitudine, & amplissimò Victoriæ fructu, superioribus seculis gloriam adimeret, posteritatis fidem propè omnem impediret.

Porro circa eadem propemodùm tempora accidit, ut à Pontificiorum castris emissarius Episcopus tunc Tinenfis, quod vi apertâ non licebat, clanculùm & eumentis concordia ac amoris fraterni blanditiis subvertere, quantum in ipso erat, religionis nostræ fundamenta non erubesceret. **NOSTER** majori hic curâ atque vigilantia opus esse ratus, quàm si aperto age-  
retur



retur Marte; non suos tantum per omnem provinci-  
am monuit, nullis se rationibus, promissis nullis, (qv-  
pe suppositis cineri doloso ignibus) à vero flecti trami-  
te paterentur; sed & reliquos per Germaniam Princi-  
pes tempestivè rogavit, velint istos Sirenum cantus  
non nisi obturatis Ulyssèa prudentiâ, verboqve divino  
auribus audire atqve eludere. Cogit me A. H. in Pa-  
triam amor & erga meritissimum Principem humillima  
pietas, ut, qvò zelo qvâve gratiâ, circa Religionem  
imprimis privilegia ipsi instaurârît, non aliend, ut ar-  
bitror, loco hoc deprædicem. Sanè, quod Græci olim  
post Corinthum everfam, pristinae Libertatis juribus  
demum receptis, de seipsis prædicabant, nisi maturè  
capti essent, se incolumes esse non potuisse: id nescio  
an non de Lusatis pari jure affirmari possit, quorum in  
terris pontificia religio majora haud dubiè, jam pri-  
dem sumisset incrementa, & ad gangrænæ cujus-  
dam instar serpsisset latius, nisi divinis oppidò & be-  
nignissimis, æternâ memoriâ digni **ELECTORIS**  
**JOH. GEORGII I.** auspiciis recuperata  
Saxonicaeque ditioni subjecta Lusatia, haberet in Suc-  
cessore quòvis laudatissimo, quò veritatis Evangelicæ  
lucem, inter medias etiam vigentis apud se passim erro-  
ris Papæi tenebras, intemeratam tueretur. O feli-  
cem igitur Patriam, sed felicioram tamen ac felicissi-  
mam Saxoniam, cui eadem incluti nostri Electoris pro-  
vida curâ novum nunc ac duplum exoritur, velut  
Castoris & Pollucis, Sydus sacrum, SPENERUS at-  
qve BEBELIUS, qvorum celebrata per orbem  
Christianum pietas & in gubernanda Christi navicula  
fides atqve prudentia uti Reipublicæ nostræ benigna  
atque lætissima quæque fata pollicetur; ita felicissimo  
eadem eventu & omnigena prosperitate ut coronentur,  
totò ac piissimo affectu omnes meritò precamur.

Ceterum jam baseos hujus sanctæ ac inconcussæ, quæ  
pietatis est, fiducia, sex columnarum molem totidem  
Clementiæ artibus & exercitiis constantem, impari li-  
cet atque infirma manu imponamus, necesse erit. E-

II.  
Delinea-  
tionem.



quidem veteris illius Juliani templi iconem ceteros propè omnes inter à Jacobo Lauro expressum haud inuenio, ad illius alioquin similitudinem nostrum hoc quoad ejus fieri posset, effecturus; non minori tamen ambitu, quàm Pacis templum ibi depictum, & à Vespasiano, ut Svetonius tradit, olim exstructum, nec paucioribus fortè columnis fuisse conspicuum, ex Rosino aliisque colligo. Et quandoquidem omnis, quæ à Clementia proficiscitur actio, vel togæ vel sagi est, utraqve vel publicè omnibus, vel privato, ut dicitur, cuiq; & horum alii merenti ac morigero, alii reprobo, sed pœnitenti prospicit; certè è sextuplici hâc, quâ omnis se exerit Principum benignitas, ratione, fenarius columnarum numerus vel spontè nobis enasci visus est. Quas eodem, quò recensuimus jam ordine, non pigebit erigere, affixis cuique fructuum, qui totidem numerò inde resultant, imaginibus longè jucundissimis, usque dum, qui omnia tegere dicitur, AMOR, tectum, & quod complanat omnia ac perficit, FAS atque ÆQUITAS coronidem operi qualicumque, inter devotas ELECTORIS Saluti acclamationes, imponat.

Column. I. Ut autem principe se loco *Togata* offert *Clementia*; ita non possumus non eum lubentissimè ipsi concedere, quippe quæ non sagatâ solum, sed & rebus omnibus, quas homini novissè datum est, melior, innumerisque potior triumphis meritò cum ipsa pace habetur. Quæque omnibus omninò hominibus, Senecæ effato, necessaria, maximè autem decora Principibus, ipsique, ut Justinianus ait, Imperiali Majeſtati planè peculiaris & ad servandam DEI imitationem aptissima; non alio certè, quàm summo dignissimoque loco poni meretur. Atque hinc factum suspicari facile licet, quod Reges omnes ac Principes ipsique adeò Imperatores inter splendidissimos Dignitatis suæ titulos & quò compellari lubentissimè gestiant, non alium, qui quidem ex Virtute aliqua descendat, quàm Clementiæ titulum, unanimi velut consensu atque constantiâ retinuerunt; ut scilicet *Principes ac Domini clementissimi* VO-



*mi* vocentur; quum in reliquis titulis, nullum propè seculum, sæpeque vix lustrum aliquod sibi constet. Ita nimirum est, A. H. ad tuendum boni Principis Nomen ac fastigium togata imprimis clementia utramque, quod dicitur, paginam facit, ut eò neque adscendere, hac sine comite, neque consistere diu ac feliciter quis possit. Qui enim dissimulare nescit, i. e. pacis artibus & benignitate usus, veniam errantibus facilem concedere, nescit utique & imperare. Itaque dignissimo HENRICI Aucupis Symbolo, tardus ad vindictam Princeps, ad beneficentiam autem velox, Pacem cum hominibus, cum vitiis autem solis bellum colat, quæ posterior OTHONI II. familiaris erat sententia. Sic ei non omnis ut Caracallæ in ferro salus, sed in liberalitate ac beneficiis erogandis potior voluptas erit, neque omnia ad summi juris, nedum iniustitiæ aut tyrannidis rigorem exigit. Quibus potissimum rebus clementiæ hujus species absolvitur. Cujus insuper utilitas iis sese diffundit spatiis, quibus emetiendis non tempus hoc, nec ipsa vox suffecerit. Unus, qui potissimum hinc nascitur, SUBDITORUM AMOR, modo sufficiat. In quo quantum momenti ad omnimodam imperii ipsiusque Principis felicitatem positum sit, prudentiores quisque jam pridem voce & exemplo docuerunt. Ut enim omnes facile Principis Virtutes ac vitia in Subditorum mores transeunt & ad ejus velut normam se componunt; ita mansuetis imperiis mansvescit & ipse parentium animus, & ex affectus Principalis, quò fovetur, igniculis, tantò majorem amoris flammam concipit. E quo pulcherrimo animorum concentu, quid nisi jucundum ac lætabile sperare liceat? Romani certè quum diuturno & perenni more inter solennia sua adfverant, ut in Amphitheatro, Cæsaris cum primis honoribus sacros homines bestiis committerent, Theodosii demum in gratiam reuuentis ac fastidientis tam dira & cruenta spectacula, desfverunt ipsi ac spontè abstinerunt, tantò majori postea Imperatorem mitissimum affectu profecuti. Quare, qui vult amari, languida regnet manu necesse est. Nam

H

per-



----- peragit tranquilla potestas  
*Quod violenta nequit: mandataq̄, fortius urget  
Imperiosa quies.*

Et longè valentior amor ad obtinendum quod velis, quam timor. Neronis autem, dicam, an belluæ? vox erat: *Oderint, dum metuant*, item: *Nemo sub Imperio liber est*. Quin optimi quique Principum Libertatem amoremque cum Regno miscuerunt. Non, commemorabo hic AUGUSTI civilitatem & moderationem summam, quæ illum eò extulit, ut major humanâ naturâ, & Deo ipsi haberetur proximus. Non TITUM, Delicias Humani generis, non ANTONINUM aliaque sexcenta Clementiæ sanctissima nomina percensebo; unus, qui fortitudinis antea præbuit, nunc Benignitatis quoque sistat nobis edecumatam Exemplar, JULIUS CÆSAR; cujus ea propria quasi laus est, præ qua & vitam ipsam contempsit, cum diceret: *mori se malle, quam timeri*. Jam quid de Saxonico dicam Julio, ELECTORE inquam nostro SERENISSIMO? Qui, ut, quod Poeta dicit, os habitumque; Deo similis per omnia; ita ipsius imprimis divæ Clementiæ speciosissimam imaginem vultu ipso, oculis, voce, gestu præ se ferre, non magis ac factò novit exprimere: æqualibus suam ac pacificum, subditis mitem ac benignum, omnibus amabilem ac beneficum sese exhibens. Atque his pacis artibus, Virtutibusque ipsa PRINCIPIS OPT. augustissima Nativitas jam prælusisse olim, haud temerè creditur, quippe quæ in id tempus incidit, quod universa Germaniæ pax, summa inter totius orbis Europæi triputia, mox consecuta est. Et verò quæ poterat alius, quam pacificus benignusque nasci, à SALOMONE TEMPORIS SUI PLACIDISSIMO (JOH. GEORGIUM II. dico, vix aliâ, quam pacis perpetuæ rarissimâ felicitate & ad ejus studium artesque composito prorsus ingenio, inclutum magis ac gloriosum.) Quò melior itaque NOSTER augustiorque TRAJANO ipso habendus nobis erit. Quem cum inter optimos priorum



rum temporum Imperatores numerarent Romani, non tamen antè talem futurum noverant, quàm cum jam Dux belli, à Nerva adoptaretur. NOSTRI Bonitas maturius ipsa ex indole & nascendi conditione eluxit, quin & maturius multò re ipsa sese exeruit. O verò felix mihi hic iterùm fortunataque LUSATIA mea, cui benignitatis tantæ primitiis in tui salutem frui & sub auspiciatissimo PRINCIPIS CLEMENTISSIMI moderamine jam pridem Halcyonia agere licuit, ubi PRÆFECTI SUPREMI partes tueri etiam juvenis non dedignabatur.

Uti verò omnem unicè operam dedit semper, ut suis <sup>Colum. II.</sup> in terris tranquilla & pacata essent omnia; ita quum aliena exorta essent bellorum incendia, mitigandis illis ac restringendis non minorem curam adhibuit: quodq; perpetuò clausum habere non potuit Jani Templum, saltem ne perpetuò apertum esset, providit. Tantò utrinque Virtutum & Laudum concentu, ut togæ æq; ac armis magnus, domi perinde ut publicè, boni, liberalis, mitissimiq; Principis Exemplum consummaret, neque Severitas ac Justitia bellica Lenitati atq; Clementiæ detraheret. Utrinque nimirum sui potens, neque provocat bella neque timet, & æq; stringendi atq; condendi ferri sciens, in tempus utrumque consulit rectè, suorumque saluti strenuus advigilat. Scilicet alieno etiam sanguini tanquam suo parcendum, neque homini esse homine prodigè utendum ratus, illa demum feliciter bella evenire cum Theudericho Gothorum Rege credit, quæ justis ac probè deliberatis auspiciis & moderato fine peragantur. Perpetuus eâ ratione Victor siquidem, quod Publ. Syrus ait: perpetuò vincit, qui utitur Clementiâ, quodq; pulcherrimum victoriæ genus Plinius tradit, plures terrore, quàm ferro ac clade perdomare didicit. Didicerat id olim pariter Julius Cæsar, qui propter confecta omnia bella civilia & singularem erga cives pariter & hostes clementiam, *Liberator, Pater Patriæ & Dictator perpetuus* salutabatur. Quinqvages enim bis confertâ cum hostibus manu postquam conflixerat, fuso etiam eorum innumero prope



pè numero, plurium tamen vitæ pepercisse credebatur, ut quoties Victor existeret, novum hoc vincendi genus perhiberet, munire se lenitate & misericordiâ. Sed quid Romanum illum commemoro Cæsarem? quum in Teutonico nostro plura suppetant, quàm quæ dici dignè a ut breviter possint? Etenim tantò parcior is est fundendi etiam hostilis sanguinis, quanto rectig novit, reddendam & ejus aliquando rationem. Quare CONSCIENTIÆ TRANQUILLIORI consulturus NOSTER nec induit temerè & reponit arma in tempore, quæ possit resumere, ubi in publicum expediat, neque fatius forte sit, servare civem unum, quàm mille hostes perdere.

Colum. III. Sed dum fieri ita non potest, quin *publicè ac palam* omnibus suâ profit lenitate Princeps optimus; de tertiâ jam columnæ adstruendo decore non est, quod prolixè laboremus. Suggestit illud Caroli V. in mentem modò veniens inscriptio, monetâ his aliquando verbis impressa: *Quod in Cælis Sol, hoc in terra Cæsar*, ut indicaret Imperator, Solis prolixiorum in sublunaria benignitatem non esse debere, quàm Cæsaris aut cujuscunqve Imperantis in terras subjectas, ceterasqve omnes, quæ ipsius præsidio aut favore juvari possint. Atque hic quidem si Solis nostri Saxonici delineare jubar beneficum sustinerem, vereor ne oculos perstringens animumqve, ipsâ Lucis suâ ubertate me confunderet atque obrueret & ne ab assentandi specie minus abesse videar ipse, quàm à necessitate. At verò non effictis hic ludere nos elogiis, sed inferioribus longè dignitati ac copiæ dicendorum succumbere, res ipsa & in vulgus nota veritas, vel me taente, loquitur. Nemo hic aditu temerè prohibetur, neqve in cassum preces fundit, modò æquitati aut Justitiæ non oppidò adversantes. Ut, quod de Julio Marius olim, de Nostro fortè pariter liceat dixisse: *Qui coram Te dicere audent, magnanimitatem Tuam, qui non audent, lenitatem & Clementiam Tuam ignorant.* Quid dicam curam ac sollicitudinem, quam de suis non saltem, sed & exteris gerit Elector Optimus, ut non timori magis quàm amor omnibus sit? Quanto labo-



laborat opere, ut tuti per bellum, pace florentes agamus, utq̄ve concussam fortè & infestatam pacem, Bellicâ ipsius Virtute tempestivam ac incolumen recuperemus? Neq̄ve verò illud prætereundum hoc loco est, quàm in exigendis tributis ac vectigalibus, boni Pastoris *Tiberiani* partes fideliter expleat, tondentis scilicet oves, non deglubentis; quàmq̄ve nec lucri ex re quâlibet bonum aut gratum sibi odorem cum *Flavio* Imperatore habeat. Equidem omnem Reipublicæ confervandæ tuendæq̄ve nervum militiâ ac pecuniis contineri, vel *Julio* eodem Magistro didicit; Sanctius tamen cum *Pertinace* credit, minoribus gaudere opibus copiisque, quàm ad divitiarum cumulum per discriminum atq̄ve dedecorum vestigia pervenire. QVIN FAMÆ fructum potiore habet, quàm perennaturam novit, etiam, quàm opum terrestrium neq̄ve usus neque splendor aut locus jam fortè superfuerit. Ac dubium sanè est, utrum ullâ aliâ, quas eminentissimas habet celeberrimasq̄ Virtutes, majorem sibi gloriam, quàm tot Benignitatis suæ pignoribus comparaverit.

In his verò porrò explicandis necesse est, ut cum aliam non unam, tum eam imprimis partem silentio, sed venerabundo, prætervehar, quæ illos tangit, quibus familiaris paullo, aut frequentius saltem, utitur *Serenissimus Princeps*, multòq̄ve largiora indolis clementissimæ <sup>renuñcia</sup> quotidie exhibet. Hi sanè verum experiuntur & proprium Saxonibus magnanimis, illud FRIDERICI SAPIENTIS Symbolum: *Bonum Principem nihil à Bono Patre differre*. Neque verò se posse satis prædicare fidentur ipsi, singularem illam comitatem ac mansuetudinem, quâ audiat rogantes & monentes, quâ amplectatur obseq̄ventes, laudet ametq̄ve merentes benè ac rerum suarum satagentes; quàm gaudeat producere in lucem è tenebris, & digno Virtutem loco ac munere solari. QVò fit, ut non minorem habeat causam Noster, quàm laudatissimus inter Atavos ipsius FRIDERICUS ille, cur Deo gratias agat, quod tanto ipsum amore tantâq̄ve fide vicissim prosequantur singuli, ut cuiusvis in gremio requiescere tutus ac incolumis possit. Quâ quidem in felicitate firmissimum & quòvis propugna-



pugnaculo, quovis clypeo tutius Regni praesidium sapientissimi quique semper collocarunt. Neque possum quin eam in rem de LUDOVICO FERREO, Thuringiae Landgrafio, historiolum subnectam. Neoburgi tunc arcem ille incolebat, sed mœnibus omnino nullis munitam. Quam securitatem satis, pro temporum illorum injuriis, magnam cum miraretur aliquando Imperator Gloriosissimus FRIDERICUS I. qui invisendi ipsum gratiam fecerat, respondit Ferreus, cautum jam sibi esse, ut quovis libere triduo, validissimis oppidum muris circumdari posset. Subridens Imperator, jocò hæc aut parum deliberatò animò dici, ratus, id quidem omnium, quotquot ea & amplior fortè provincia aleret, murariorum operà perfici minimè posse, contendeat. Ille, convocatis subito Vasallis omnibus armatis ac manu fortibus, ut primùm nox ingrueret, circumvallabat arcem, itaque disponebat ordines, ut singulae turris prominentioris vicem expleret Comes singulus vel Dynasta. Mox è fenestra ut prospiceret, Imperatorem rogat, qui FIDEM SUBDITORUM & felicitatem Landgrafii miratus, nunquam se pulchriorem in omni vita murum vidisse asseverabat.

Colum. V.  
& VI.

Atque ejusmodi murariorum ope quod reliquum est ædificii nostri ac columnarum facili pariter negotio absolvetur. Modò ne pigeat Vos, RECTOR. MAGN. PATRESQUE CONSCR. AC AUD. RELIQUI, aut pœniteat brevissimi temporis, quod colophonem operi mox imponet. Ipsos enim nunc sistam Subditos ac Incolas Saxoniae quâ patet, universos ac singulos, sive *probi* sint illi; sive *reprobi*, pœnisque adeò vel præmiis digni, aut quovis demum censu veniant. Eorum, inquam, omnium fidem appello ac conscientiam. Dicant, quo animo in ipsos fuerit, ex quo fasces Electorales suscepit POTENTISSIMUS JOH. GEORG. III. quàm placidum, mitem ac beneficium experti sint, quùm absumptas igne domus ac tantùm non urbes integras suis excitari sumptibus jussit; quùm censuum ac tributorum nõ mediocrem summã pressis ac inopibus remisit; quùm fartas atq; tectas cujusque opes ac fortunas ita habuit, ut sub tranquillo ac felici ipsius umbone non minùs felicè  
exi-



exigere vitam unicuique licuerit, nisi qui suam se ipse felicitate per scelus summum atque malitiam defraudaverit. Quamquam nec horum aliquis habebit de quo conqueratur, quandoquidem Benignissimus ELECTOR suam nullum unquam sententiam damnat; quin defensionem juris etiam solito ampliore saepius indulget, omnemque ejusmodi causam Prudentum consiliis dirimendam transcribit. Equidem ita cum Augusto Imperatore non solum sentit Noster: *Debere Principem, quae in Republicam peccantur, exequi, at privatim in se admittatolerare*; sed & facto sententiam, rectius atque ipse autor, confirmat. Cujus hic certe parum memor deprehensus, quum & Tullio meritissimo durior & Nasoni Poetae implacabilem se praestitit, nec vel solo isto versu ad divinorem sensum flecti se passus est:

*Flectitur iratus voce rogante Deus.* Alia omnia in Nostro experiuntur quotidiè illi imprimis, qui literarum studiis operam navant. In quos non odio saltem non saevit, sed & beneficia ac stipendia, certè si numerum computemus, vel Regiis impensis ac fide majora cumulat. Atque hic latior denuo dicendi campus se nobis aperit, quam cui obiendo tempus aut institutum nostrum respondeat. Quare sepositis, quae hic dici merebantur, quam plurimis, ne vestra AUD. HON. patientiam abutar, quod restat, Templo nostro Tectum simul & Colophonem nunc imponam.

Itaque à quo proficiscitur & in quem resolvitur omnis illa Clementiae ratio, sistendus jam nobis in profcenium est Tectum. AMOR PATRIAE. Amori uti nihil arduum, nihil difficile est, ita & supremo à nobis loco facile exponetur. Sed quid exponam prolixius, quem omnes intelligunt ejus esse indolis, ut quascunque temporum ac factorum injurias peraeque sufferat & à suis quam longissime averruncet: ut suos tegat, colat, defendat: ut prona ad benefaciendum bonis, ad condonandum sequioribus faciat, quae occupavit, peccata: ut tristissima quaecumque ipsamque adeo mortem subire eadem lubentius faciat, quam permittere, amatam à se rem casu ullo aut facinore temerari? Ea omnia quam convenient in SERENISS. NOSTRUM, vel ex dictis arbitraturum facile quemquam confido. Solò nempe is Amore Patriae inductus, non tantum se suamque vitam ac fortunas discrimini non uni exposuit, totque ac



tam egregia patravit facinora; sed & ut perennioris in Patriam affectus, etiam post fata (quæ seriffima faxit Deus!) duraturi pignus daret, FILIUM PRINCIPEM, ELECTORATUM HEREDEM exteris in Regionibus, certè non sine vario variorum casuum periculo, iis excolis artibus fecit ac Virtutibus, de quarum fructu lætari olim Patria abunde possit. Quem ut propediem felicissimis auspiciis reducem exosculari Patriæ liceat, devotissimis mentis suspiriis exoptamus! Ceterum uti tritissimâ paroemiâ,

*Justitia in sese virtutes continet omnes;*

ita Clementiam suo quoque umbone veluti fovet atque complectitur, neque adeo indignum in Templo ejus tegendo locum occupat. Namque & dirigit eam & æquitatis filo tanquam Ariadneo ad Virtutum omnium metam unicam & summam fastigium, SALUTEM PUBLICAM, (Templi idcirco nostri Coronidem,) recto tramite deducit.

**Conclusio.** Atque ita demum, A. H. cum Horatio, sed quâ decet modestiâ, exclamare mihi liceat:

*Exegi monumentum ære perennius,  
Regaliq; situ pyramidum altius,  
Quod nec imber edax, aut Aquilo impotens  
Possit diruere aut innumerabilis  
Annorum series & fuga temporum!*

Sanè Ephesino Dianæ templo, quod hoc ipso menle olim concrematum legitur, diuturnius vel Vestris ac Posterorum in animis futurum confido. Quibus nunquam excidet, nunquam eripietur grata CLEMENTISSIMI ELECTORIS memoria. Confugite igitur ad Templum hoc Principalis Benignitatis, quotquot ullâ vel pietate vel necessitate urgemini, prorsus confisi, perinde Vobis Asylis loco futurum illud, ac Julio-Cæsareanum, de quo idem Bulengerus post alios affirmat. Sed memores confugite tanti beneficii, gratæque; mentis tenaces. Quam, cum alia ratione non liceat, voto saltem pio, veluti thure oblato, publicè mecum testatam facite, ut, quas non possumus ipsi, Jova ELECTORI tribuat pro munere grates!

Illud ergo DEUM Opt. Max. religiosè ac indefinente prece poscimus, semperque poscemus ac flagitabimus, ut, quæ pro Salute Patriæ, pro Libertate communi ac Religione, pro dignitate Imperii cogitabit aut suscipiet PRINCEPS NOSTER CLEMENTISS. benè prospereque; evenire sinat, faveatque; his Beneficiis suis, nullâ malevolorum machinâ, vi nullâ aut fraude unquam labefactandis! Ut IPSE pariter ac universa ELECTORALIS DOMUS Augustissima omni felicitatis copiâ floreat æternum ac coronetur! DIXI.

GOTTL. CHRIST. VICEDOM.

AB ECCEST. ED.

•••(o)•••



Beschluß = Aria :

**S** wird der **Th**eure **S**achsen-  
**H**eld /

Im wahren Contrefait gewiesen /  
Und Sein vorlängst bey aller Welt  
Erschollnes Tugend = Lob gepriesen /  
Hier steht sein unvergleichlich Bild  
Voll Glanz / der Ost und Westen füllt.

II.

**S** strahlt von **G**nad und **T**apferkeit /  
Drüm Ihn der Gnaden = Göttin Tempel  
Als Ehrenburg wird eingeweyht /  
Zum wunderwürdigsten Exempel/  
Daß mehr als einer Gottheit Pracht  
Die Fürsten = Zier vollkommen macht.

III.

**M**ars thut es hier alleine nicht  
Noch Pallas = Auch die Charitinnen  
Bestrahlen sein **Ch**ur = Fürstlich Licht  
Und lassen Ihn das Lob gewinnen  
Daß Er zu Krieg und Friedens = Zeit  
Dem Lande Schutz und Trost verleiht.

IV.

**D**ie tapfre **B**RUSE steht für den **R**iß  
Und zeigt sich dem Feinde forne /  
Der Türken = Mond sind noch gewiß  
Ein ChurSchwert = mahl an jeden Horne /  
Ob Er es gleich gar bald bey **W**ien  
Begunt' im **F**liehen ein zu ziehn.

V.

**D**as **H**AUPT / der **H**ohen **W**eisheit **T**hron  
Erwiegt / was **N**utz sey oder **S**chade /  
Und theilet eines jeden Lohn  
Nach dem **E**rs werth / von **Z**orn und **G**nade /  
So / daß die **B**illigkeit nicht leicht  
Dem **a**lzu strengen **R**echte weicht.

VI.

**D**as **A**UGE / das der **F**einde **B**lick  
Und **F**urcht und **S**chrecken war gewesen /  
Wird bald ein **h**older **G**naden = **S**itz  
Und läßt iederman genesen



Der sich in Demuth nieder beugt  
Und seine Schuldigkeit bezeugt.

VII.

**D**en **DHREN** klingt nicht immerfort  
Der Knall der donnernden Metallen;  
Sie nehmen auch ein Friedens-Wort  
Gar leicht zu gnädigen Gefallen/  
Wann Ruß und Ruh für jederman  
Im Lande drauß ersprießen kan.

VIII.

**D**ann lenckt die Huld-Göttin den **MUND**/  
Daß Er nur Lieb und Gnad austreuet/  
Und durch gewünschten Friedens-Bund  
Das Hochbeglückte Land erfreuet.  
Daß also Ernst und Gnaden-Schein  
Hier immer zu vermischet seyn.

IX.

**B**rim strahlt des **Sachsen-Heldens** Bild  
Mit einer doppelt-hellen Sonne/  
Die Muth und Huld mit Glanz erfüllt  
Zu aller Menschen Ruß und Wonne/  
Und führt die Überschrift: Die Brust  
Hegt einen **Cesar** und **August**.

X.

**U**nd wohl / daß wir an diesem Bild'  
Auch schon zwen Neben-Sonnen sehen/  
Die / wenn die späte Zeit erfüllt/  
Sein Licht nicht lassen untergehen  
Und stellen stets in neuer Zier  
Das Götter-gleiche Bildnis für.

XI.

**W**ohlan! es steh des **Sachsen-Stammes**  
Chur-Fürstlich Bild in vollem Glanze/  
Als wie die Sternen Abrahams/  
Bis es einst/ wenn diß grosse Ganze  
Sein Sonn-und Sternen-Licht verliert/  
Mit Himmels-Glanze wird beziert!



Anhang  
 Des  
 Unterthänigsten Reise = Wunsch /  
 Welcher / als  
 Die Durchlauchtigsten Ehr = Fürstinnen  
 Von Sachsen und Heidelberg /  
 R. R. R.

Nebst Tit.  
 Des Ehr = Sächsischen Prinzens /  
 Herrn Friedrich Augustens /  
 Hoch = Fürstlichen Durchl. R. R.  
 Auf der Reise nachher Holstein und ferner zu Einholung  
 Ehrer Ehr = Prinzi. Durchl.  
 zu Sachsen / R. R.  
 begriffen waren /

Und am 5. Julii 1686. alhier zu Wittenberg  
 ein Nacht = Lager hielten /

In einer geringen Nacht = Music /

In Nahmen  
 Derer alhier Studirenden  
 von Rixthum und Löser /  
 gehorsamst / ob wohl ehlfertigst  
 abgelegt wurde.



1.

**M**ehr als beglücktes Tages = Licht /  
 Du bist uns allzufrüh entronnen;  
 Doch mangelt's uns an Lichte nicht /  
 Nach dem die Theuren Landes = Sonnen  
 Durch Ihren hellen Gnaden = Schein  
 Uns mehr als Licht und Sonne seyn.

R 2

Drumb



II.

**F**ürmb heißet die tieffste Pflicht und Freud/  
 Ein möglichst Opfer zu gewehren /  
 Im fall sich Ihre Göttlichkeit  
 Durch schlechten Zuruff läßet ehren /  
 Und wann ein Wunsch/der treu gemeint/  
 Vor Ihnen als ein Beyrauch scheint.

III.

**e**in Ihren Welt-erhoffnen Preis  
 Durch unsre Stimmen zu erhöhen  
 Wird unsre Niedrigkeit mit Fleiß  
 Vor dismahl sich nicht unterstehen/  
 Weil solches in so kurzer Frist  
 Der größten Kunst unmöglich ist.

IV.


**W**ir ehren Ihrer Gottheit Zier  
 In tieffster Demuth nur von ferne  
 Daß man die Dienst- und Danck-Begier  
 Indesß aus schwachen Zeichen lerne /  
 Bist einst die Zeit und Ihre Gnad'  
 Uns Krafft verleiht zur vollen That.

V.

**D**er Himmel steh' Euch stets zur Seit'  
 Ihr höchstgepriesenen Landes-Mütter /  
 Und laß' ein Englisches Geleit'  
 Abwenden alles Ungewitter /  
 Bis Ihr des Landes Zier und Krohn  
 Uns wiederbringt / den Eheuren Sohn!

VI.

**A**UCH DU sey nichts als Glück bewußt /  
 Und heyl auff allen deinen Wegen /  
 Durchlauchtigster **MICHEL AUGUST** /  
 Des Landes Andrer Trost und Segen /  
 Damit die Saffhen-Kraute nie  
 In einem Zweig alleine blüh!







**N**obile par Fratrum, quos gloria gentis avitæ  
Excitat in laudes, perpetuumque decus.  
Pars orbis melior, pars optatissima Phœbi,  
Pulchrum naturæ se superantis opus.  
Utere luce Tuâ, nomenque per æthera notum  
Irradia flammis luminibusque novis!  
Sic aquilæ generant aquilas, sic lætior exit  
Phosphorus, & Solis nunciat effigiem.

*Lub. meritoq; facieb.*

Theodorus Dassovius, P. P.  
p.t. Acad. Rector.

**F**ortibus in Mundo *Clementia* propria fertur,  
Nam faciles motus *Mens* GENEROSA capit.  
*Fortia* supponit, *Nonfortia* furrigit HEROS;  
*Maxima Magnanimus* tollit & *ima* levat.  
*Parcere subjectis*, sed *debellare superbos*  
Dicitur ipse *Leo*, quod mage *Fortis* amat.  
**JULIUS**, *Augustus Cæsar*, *fortissima* quæque  
*Vicit*, & omne suum *Nomen* ad *astra* tulit.  
*Magnus* in *Orbe* fuit sic *Nomine Fortis*, ut inde  
*Nomine Clementis major* in *Urbe* foret.  
*Tullius* est testis tutamine pro *Marcello*,  
*Clemens* hoc *Forti* non magis ullus ei.  
**SAXONICOS ELECTORES** hæc *Urraq; Virtus*  
Evehit in *cælos*, vel super *astra* vehit.  
**HEROAS Fortes** *Clementia* cælitus ornat,  
Aurea sic *Pacis tempora Terra* colit.  
Hæc *VICE-dum DOMINI GENEROSO pectore* condunt,  
Nescit in occulto *lingua* latere diu.  
**Virtutes ELECTORUM Par Nobile FRATRUM**  
Miratur, *DOMINIS* dat *Sacra cuncta fide*.

L

ILLU-



ILLUSTREM VICE QVEM DOMINUM *Lusatia* laudat,  
 HUNC GENEROSA PATREM *BIGA* referre cupit.  
*Felices* PATRES, qveis *Prolis Gloria* surgit!  
*Felices* NATOS, qvos PATRIS ACTA vehunt!  
 SAXONIS HEROIS *Fortis Clementia* furgat,  
 MUNDI MAGNATES inter ad *astra* migret?  
*Audaces* vincat, *pressis*, *Clementia* parcat,  
 ELECTORALIS *floreat* usqve DOMUS!  
 ILLUSTREM VICEDOM *Meritorum* fufna coronet  
*Gloria*, & in NATIS *Vivat* IMAGO PATRIS!  
 GRATIA plena DEI, CLEMENTIA PRINCIPIS ornet  
 ILLUSTRES JUVENES! Hoc *mea Vota* ferunt.

GENEROSISSIMIS DNN. FRATRIBUS,  
 In Spem PATRIÆ Certam Natis, VICE-  
 DOMINIS, pietatis & felicioris Ominis  
 ergo f.

Johannes Deutschmann / D.

**R** Emunerandi Heroas, Generosissimi Domini, variare morem, & pro diversa populorum pietate non uno modo institui, neminem, nisi qui in historia planè sit hospes atqve adedè ingeniosi subjectorum erga optimæ notæ Principes amoris prodita monumenta juxta cum ignarissimis nesciat, latere potest. Sed cum Magnatum fortuna non desideret compensandi vices, neqve parentium copia suggerat restituendi facultatem, rectè existimâsse videri poterunt, qui verbis potius summas Principum virtutes pergrandas esse dixerunt, quàm ut post fata fugientem quorundam famam Saxi atqve metallis victuris in injuriam fati atqve invidiam annorum monumentis homines laborent adstringere. Fluxerunt inde Orationes Panegyricæ, quas vocamus, qualem perfectæ, si Casaubono credamus, artis nobis reliquit Plinius, quæ tamen censuram, hac in re, uti in plerisque aliis admirationem prudentiæ judicariis affectantis Boccalini effugere haud potuit, acerbis nominibus perstringentis omnes, qui in vivorum Principum laudem scripta & orationes adornarent, quasi id nullo prorsus modo sine adulationis nota suscipi queat. Enimverò vota excitantur & obsequia, si vivo adhuc Principe ipsa pietas tam pulchram lubinde refricet memoriam, & inter iteratas audiendi delicias differatur, quomodo colligendis virtutis Principis vestigiis non modò per multas exterasque regiones eundem



undum, sed nubes & cœlorum adyta referenda esse, unde felicitatis origo constare possit: quomodo eâdem magnanimitate summâ omnia aggrediatur, quâ horrenda cuncta despicit, tam à cœlo securus auxilii, quâm ab animo certus fidei: præterea si princeps non tam implicatus ad severitatem, quâm propensus ad misericordiam & ab innocentia clemens, qui rectè faciendi omnibus non tam imponere necessitatem, quâm incurere voluntatem, neque tam timeri Leges, quâm propter se diligi malit, ostendatur. Quibus auditis quis erit tam præfractæ negligentia, aut adeo ab obsequii sanctimonia alienus, quin vota sua protinus publicis conjungat, ut Deus propicius Principem ejusmodi conservet, & vel de suis annis ipsi annos adaugeat. Neque igitur vestrae pietati, GENEROSISSIMI DOMINI, scrupulum injicere potuit istius hominis, qui veræ laudis indolem ignorasse videtur, cavillatio, quod minus FORTITUDINIS atque CLEMENTIAE Serenissimi ac Potentissimi Saxoniae Electoris JOH. GEORGII III. in cujus nomine omnia ad aeternitatem famæ conspirant, imagines in templo famæ dedicaveris. Vivit equidem cum Sole & Luna virtutum Herois nostri ac Patris Patriæ memoria, quarum nulla est, quæ non rem voluminis abundè suppeditec. quod singula summa momenta hujus gloriæ in secula migrent, & posteritati quoque innotescant. Vestrum autem, VICE-DOMINI GENEROSISSIMI, vel eo nomine nomen omnibus charum æstimatumque erit, quod tam aptos & difertos publicæ voluntatis interpretes atque præcones laudum eminentissimarum in nostro Principe, Romani Imperii & exterarum quoque nationum suffragiis munitarum stiteritis: neque dubium est, quin in hac Fortitudine & Clementiâ, tanquam minimè lubrico fundamento fortunæ & famæ domicilium ædificare, atque adeo avitam laudem consequi valeatis, quam spem ex animo vobis gratulatur

Joh. Fr. Mayer, D. & P. P.

**P**roximus hic gradus est, quo Vos, simulacra Deorum. Qui geritis, Rerum Domini, nunc altius ire, Aeternaque ipsos Superos æquare potestis. Famâ, si virtus, si Vos clementia terris Optatos reddant; duo sunt hæc Numine digna: Numine major erit, qui horum, Tibi, Maxime SAXO, Præcipere audebit palmam. Quis SAXONE major? Ipse sua dextra à Turcis servasse Viennam Gaudet, & Ære suos, galeaque onerasse lacertos:

L 2

Fortior



*Fortior HOC nemo est, hic Clementissimus unus,  
Qui fuit in Teucris, & servantissimus æqui;  
Ut non immeritò Vos lucubrare moverent  
Tanta Trophæa Ducis, Vos, qui modo Leucoris hujus  
Et decus, & robur, patriæ spes larga vegetis,  
Nobile Par Fratrum, studius, Virtute decori,  
Quos DEUS ad Patriæ sibi servet commoda nostræ!*

Gratulabundus deproperabat

D. Godofredus Strauß / P. P.

**D**Um Patris Patriæ memorantes Leucoris audit  
Laudes, hæc visâ est lætior ore loqui:  
Ter mihi salvebis, Fratrum lectissima biga!  
Qvâ Phœbo fatagit gratius esse nihil.  
Immortale tibi majorum gloria nomen  
Conciliat; majus sed dabit ingenium.  
Omina Leucoridos rata sint! Ad maxima nata  
Pectora surgatis nomine in astra, precor!

D. G. Michaël Heber, P. P.

PARI  
FRATRUM GENEROSORUM

S. D.

JOH. HENRICUS BERGER,

J. U. D. & P. P.

**D**ixistis è cathedrâ solenni, applaudentibus  
Patribus, ornate; Quo nomine VOBIS imò omnibus, quorum  
interest, gratuler; Tanto certè diligentius, quanto alacriores VOS  
in viâ Juris, quam haud ita pridem ingressi estis, experiar. Pare est  
& concinnitatem morum & ingenii solertiam, quæis inclarescitis,  
publicis tabulis exempli loco sisti, iis præsertim, quorquor verè  
Nobiles verè Generosi usurpari gestiant. Agite verò, O MEI, &  
ur cœpistis persistite indies magis magisque mahti. Insignis uti-  
que spes ubique affulget, ex VESTRIS virtutibus GENTI VICE-  
DOMINORUM, cui feliciter inserti estis, ingens decus accessurum.

GENE-



GENEROSISS. FRATRUM VICE-  
DOMINORUM PARI

S. P. D.

GEORGIUS CASPAR KIRCHMAJERUS,  
Prof. Publ.

**N**isi Nascendi conditio Vestra Generosiore & exci-  
tatam ad summa indolem sponderet; ipsa, quibus in-  
nutrimini, pulcherrimarum rerum studia indubitato es-  
sent argumento. Aquilarum certe, etiam teneriorum  
primus hic labor ac velut donuocia traditur, ut Solis matu-  
re ferant radios, ac propiori subinde & inconnivi obtu-  
tu arbutentur. SOLEM Augustissimò ELECTO-  
RE splendoriorem Saxonia non agnoscit, nec fortè Chri-  
stianus, quà patet, Orbis. E FUS Virtutum Serenissi-  
mos radios non modo coràm haud ita pridem Vos hic  
susplicere, multaque PRINCIPALIS Gratiaë pigno-  
ra devotè exosculari meminimus; sed & susplicendum,  
idem aliis jubar diserto nuper sermone exponere, ma-  
gnà cum voluptate, publicòque plausu audivimus. Ma-  
gñi eà, ceterisque dotibus, in quibus & ipse POTEN-  
TISSIMUS ELECTOR, & Patria, & Parens illu-  
stris & Academia hæc, & qui Vestra nunc juvant ac  
moderantur studia, habebunt olim, quod Sibi & Vobis  
abunde gratulentur!

---

**M**ortalitatis elevato limite,  
Impressa celo gloriaë vestigia  
PRINCEPS per orbem seminavit ENSIFER,  
Æquans SECUNDUM gratiã, felicior  
PRIMO, JOHANNES TERTIUS GEORGIUS,  
Divinitatis particeps HEROS, suis  
Pater benignus, exterarum gentium  
Amor, fugatis terror ipse Barbaris,  
Alterq; Turcis oppidò MAURITIUS.  
Quem nulla dignis prosequetur laudibus

M. *Ætas*



*Ætas, nec ulli conticescent posteri.  
Vos, qui Juventæ promittis fructum modò,  
Devota dum sic imperavit PRINCIPI  
Virtutum, gentis antiquæ, domus,  
Latus, quod opto, utrumque claudetis, Viri.*

Sinceri affectus, bonique omnis  
causâ f.

Michaël Waltherus,  
Prof. Publ.

---

ILLUSTRI FRATRUM PARI

publicè solemniterque peroranti

S. D.

Christianus Röhrensee /

Prof. Publ.

**D**UO præcipuè sunt, quæ generosam mentem occupare debent, studiorum genera, Eloqventia & Sapientia: quorum posterius iusti honestique fundamenta jacit, agendi que formam imprimi, quæ deinceps in universâ vitâ servatur; prius linguam fingit, ac id præstat, ut quæ in re civili ac negotiis publicis sapienter nobiscum putavimus, aptâ ornatâque oratione exprimamus. Atque hæc tam arctè copulata & inter se devincta sunt, ut nec efficax, communi que egregio proficua esse possit sapientia, quæ eloquentiâ destituitur & evanida plerumque, imò noxia evadat disserendi vis, cui sapientia deest. Quò magis decorum Vestrum institutum, est, GENEROSISSIMI JUVENES, quò utramque jungitis, non illam sterilem quidem ac ineptam, quæ tora desudat in orationibus & quaestionibus contentiosis, tantumque, altercationi ac exercendo ingenio comparatis, sed dignitate augustam, usu præstantem, quæ præclara pectora ad magnæ fortunæ cultum excitantur. Testatum id facit nobile illud specimen, quod cum Academiæ plausu nuper admodum edidistis. De quo & Vobis impensè gratulor, & DEUM veneror, ut sospitet Vos, ac erecta Vestra, planè que illustria ingenia iis: porro imbui artibus concedat, quæ PATRIÆ requirit utilitas, Potentissimus PATRIÆ PATER magni facit, ac Perillustris PARENS Vester inusitatâ dexteritate exercet.

Per-



Perquam Generosis Fratribus,  
CHRISTOPHORO FRIDERICO, & GOTT-  
LOB CHRISTIANO VICEDOMINIS,  
Illustri propagine ECSTAEDTIANA oriundis,  
C. S. SCHURZFLEISCHIIUS.

**Q**uod bene utriusque vertat, festo ritu agitis Natalem maximi PRINCIPIS,  
& ut par est, tempore ad dicendum opportuno, tam scitâ, quam solenni  
oratione colitis, acrite celebratis. Quo fiet, ut posteris notum testatum-  
que sit, digna clientelis repari obsequia, que Principi omnium charitates  
complexo, tam lato tamq̄ auspiciato imprimis die exhibentur. Dignam Ge-  
nere vestro operam sumitis, & Heroi Martio libertatisq̄, propugnatori a-  
cerrimo, sanctum & solenne officium rependitis, qui nisi ipse nuper caput pro  
salute communi barbaris hostibus objecisset, supremum hoc, credite, vobis,  
nobisq̄ Patria gaudium fuisset. Atenim verò Princeps, quem sua fortitudo,  
nullis tacenda seculis, è presentissimo tunc periculo eripuit, divino servatus  
beneficio est, ut non magis Saxonie, quam terrarum Orbi communis letandi  
materia suppedicaret. Felices verò fortunatosq̄ Fratres, qui occuparunt  
gratulandi studium, quod seu pietatis, sive industria contentione quadam,  
præripere alii cum animis statutum habuerunt. Injecit hanc utriusque men-  
tem DEUS, Principum ille custos & arbiter præpotens: excitavit animi &  
voluntatis similitudine generosissimus Pater, Occasionis arripiende sanctus  
idem gravisq̄ autor, cum tempestivè, tum seriò Vos admonuit, ut quam Pa-  
trie facitis magnam spem, eam idoneo & apto, nec à pietate sejuncto specimi-  
ne approbareti Principi summo, & ad ornandam patriam maxime erecto. Qui  
ut familias illustri & equestri loco natas benignè tuendas suscipit, & perin-  
dulgenter fovet; sic à Vestra gente nihil alienior, plurima ab utroque ve-  
strum ornamenta expectat, & commoda equè sibi ac Patrie pollicetur. A-  
gite ergo Fratres, spe & animo pares, equò laudis certamine ad dignum  
sursu Vestra cultum excitati, curriculum gloria, quod ætate optimarum re-  
rum capace ingressi estis, prosperè atque ex animi sententiâ conficiatis, &  
munia patrie honorifica pariter atque utilia salvi diu & sospites, in toga u-  
triusque feliciter obeatis.

**F**Lorida prælustri, FRATRES, Foetura Parentis,  
Qvos circum Virtus nobilitata micat.  
Ut vos magna decent, sic magnos HECTORIS aufus  
SAXONICI meritò concelebrare juvat.  
Cujus ab auspicio fausto & victricibus armis  
Libertas Regni Religioque viget.  
Oviq̄ ferenato Vultu ipsò & Corde benignò  
Et Charitum & Martis continet omne decus.  
Id dum non fictâ depingere luce paratis,  
Luce decus Vestrum splendidiore micat.

*Summa expectationis Pari Amorem & Studium  
probatari scribebant*

CONVICTORES.

M 2

Qualis



**Q**ualis discutiens fugientia Lucifer astra,  
Aut qualis surgit noctis praeuuncius Hesper:

Qualis, cum primum tenebris aurora fugatis  
Induxit rubicunda diem, sol aspicit orbem  
Lucidus, & primos à carcere concitat axes:

Talis adest Princeps, talem quoq; Saxonis orbis  
Miratur, plenâq; DEUM veneratur acerrâ.

Hic est, qui fessis felicia secula reddit,  
Pacatamq; regit patriis virtutibus oram.

Hic est, qui parcit miseris, reprimiq; superbos,  
Ut meritò dubiam teneat sententia mentem,  
Bellica num virtus, num sit clementia maior?

Hic etiam labor est vobis, ea cura viriles  
Exstimulat mentes, generoso Stemmata nati!

Ut melius virtus, nunc hac, nunc illa coruscet.  
Felices animæ! quibus hac contendere primum

Cura fuit, digno prorsus conamine vobis,  
Egregias certè laudes, atque ampla refertis

Pramia, quæ nunquam pallens obliuio carpet.

Unanimi hóc concentu, generosis VICEDOMINORUM conatibus  
solenniter adplaudunt, qui ex ordine Equestri, Musis Leu-  
corëis hodie operantur:

George Job von Milckau.  
Johann Ernst von Nechenberg.  
Magnus Ebfser.  
Carl Bogislaff von Demig.  
Felix von Glashnap.  
Christoph Bisgthum von Eckstädt.

Heinrich Ebfser.  
Hans Christoph von Lest.  
Johann Daniel von Koseritz.  
Wolff Rudolph } von Ende.  
Wolff Carl }  
Johann Jacob von der Dröpsel.

### CORONIS VOTIVA

αὐτοχρηδίαστη

EPHORI CALENI, AD SUOS VICEDOMINOS,  
Solennia nuper Vota, nec sine plausu ac gratiâ  
publicè dispertitos:

**E**gregiæ Mentes, Generosâq; Pectora, Phæbi  
Et Patriæ & Patris Spesq; Decusq; meum.  
Quam bene primitiâs studiorum & pignora mentis  
Subiectæ ENSIFERO Vota precesq; datis!  
Audiit hasce DEUS jam captâq; CÆSARIS armis  
Atque ope SAXONICA BUDA coronat eas.  
Audiat has porrò DEUS, & quæ SAXONIS AULÆ  
Et PATRIÆ, & VOBIS commoda, cuncta duit!













Ung. VI 3

Vb 17







1

STATUA FORTITUDINIS  
 JULIO-CAESAREANAE  
 IN  
 TEMPLO CLEMENTIAE  
 ERECTA, ET  
 AUGUSTISSIMIS HONORIBUS NATALITIS  
 AC FELICITATI GLORIOSISSIMAE,  
 SERENISSIMI AC POTENSIS SIMI PRINCIPIS AC DOMINI,  
 DOMINI

**JOHANNIS GEORGII III.**  
 DUCIS SAXONIAE, JULIACI, CLIVIAE ET MON-  
 TIUM, S. R. IMP. ARCHIMARESCHALLI ET ELECTORIS,  
 LANDGRAFII THURINGIAE, MARGRAFII MISNIAE, ET UTRIUSQUE  
 LUSATIAE, BURGGRAFII MAGDEBURGI, COMITIS PRINCIPALIS HENNEBERGAE, CO-  
 MITIS MARCAE, RAVENSBERGAE ET BARBY, DOMINI RAVENSTEINI. ETC. ETC.

BINIS ORATIONIBUS SOLENNIBUS,  
 IN INCLUTAE LEUCOREAE AUDITORIO MAJORI  
 ET PANEGYRI PUBLICA  
 HUMILIMO ANIMI DEVOTISSIMI CULTU  
 CONSECRATA,



In Augustinum  
 hinc hinc fungen  
 non obtulit sed  
 Laxum Tunc  
 hinc. Die 20. Apr.  
 1727

POTENTISSIMI SAXONIAE ELECTORIS  
 SERVIS HUMILISSIMIS  
**CHRISTOPHORO FRIDERICO, & GOTTLIBIO CHRISTIANO**  
 FRATRIBUS GERMANTIS, VICEDOMINIS AB ECCSTAED,  
 DIRIGENTE EPORO,  
 M. F. CALENO

